



A. 10.  
d.

Materia ex qua s. materia constitutiva  
calcei, cuius est. hominis ipsum corpus e.

Materia in qua s. subiectiva o. Mate  
ria Retorice <sup>ig</sup> mente luminis.

Materia circa qua s. obiectiva. q. s. l.  
intelligit q. a versatq. circa unamquamq.  
rem.

In artificialia argumenta sunt q. a testimonio  
reteru. v. g. in h. item ab aliis n. d.

M. Dietrich q. tu addit genus didascal  
cu. sed d. h. m. n. r. methodu. logica  
et Retoricam. hoc q. tu genus d. e. s. o.  
p. h. e. p. h. y. c. i. t. Argumenta n. sunt a  
causa, contrario

~~non est~~ materia in genere de  
monstrativo sunt q. a p. o. b. u. t. a. r. e. l. e. p. a  
(3) n. d. / n. a. l. a. c.

Persona e suppositu intelligens M. sup  
positu e substantia prima.

Affertu in Retorica considerantur quate  
ny possit moveri l. d. d. a. n. i. In logica tan  
quam predicamentalia in Physica tanquam  
qualitates hominis in Ethicis tanquam vir  
tutes et vitia

Causae sunt quatuor d. u. a. i. n. t. e. r. n. a. l. e.  
materia et forma, p. r. i. n. c. i. p. i. u. m. n. e. c. e. s. s. a. r. i. u. m. f. i. n. i. s. e. t.

e <sup>efficiens</sup> ~~efficiens~~ <sup>formis</sup> ~~formis~~ <sup>sub</sup> ~~sub~~  
pater et mater, finis propagatio sex  
materia, utroque organicum, forma quae  
est leonit, hominis anima.

Rifor in aqua, pastor in cathedra  
ibi subiectum est pitius, pastor, ad iunct  
aqua, cathedra.

Ex de, materia notas, Annotat icid  
I tibi dat forma sed propter at tibi finem  
Totum est quintuplex universale

Totum universale est genus partes univer  
sales sunt species respe tu generis.  
Totum subiectum est quae spe.


mit  
leg  
qua


va  
nich


id  
2 ten  
men

ver



























ELEGANTIARUM  
**LATINI**  
SERMONIS  
PRÆCEPTIO-  
NES ALIQVOT,

*In gratiam*

**Studiosæ Juventutis**  
collectæ,

*Cùm Ciceronianis, tùm a-*  
*liorum bonorum Authorum*  
*exemplis illustratæ,*

**Omnibus incorruptæ propriissimæq;**

*Latinitatis cupidis utiles & summe*  
*necessaria, libris Joh: Ge,*

AUTORE *orgij Simonis.*

**M. Georgio Vogelmanno,**  
Legisse juverit.

**Cum gratia & Privilegio Elect. Sax.**

LIPSIÆ,

**Apud SAMUBLEM SCHEIBIUM,**  
Anno M. DC. LIV.

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZV HALLE.





AMPLISSIMIS  
VIRIS,

*Prudentiâ, Eruditione,  
Pietate, Præstanti-  
bus,*

CONSULIBUS

&

TOTI ORDINI SE-  
natorio Celeberrimæ  
Reipublicæ  
HAMELENSIS,

*Adeoq;*

CIVIBUS OMNIBUS

*Ejusdem*

ECCLESIAE & SCHOLÆ;

*Dominis & Patronis suis perpe-  
nuò colendis.*

PREFATIO.



**D**Receipturo de re quacun-  
que, brevitatis studium  
commendat Horatius, in  
his versibus:

Quicquid precipies, esto bre-  
vis, ut citò dicta

Percipiant animi dociles, te-  
neantque fideles.

Et rectè quidem ille. Etenim,  
extra omnem dubitationis aleam  
positum est, omnes omnium ar-  
tium Preceptiones, præsertim  
Grammatica, suâ naturâ quiddam  
subamarum & austerum in se  
contingere. Quamobrem omnibus  
industria nervis in id incumben-  
dum erit, ut hoc mali, quantum  
fieri potest, perspicuitate juxta  
ac brevitate leniatur, sanetur,  
toleretur.

P R A E F A T I O .

tollatur. Praclare itaq; de literarum studiis merentur, qui prolixos Grammaticorum Commentarios in epitomas redigunt, quippe quae cum brevitate lucis afferant plurimum; cum verò efficiant, ut rebus multò utilissimis puerorum animi, à primis statim annis imbuantur & ornentur. Quae mihi quoq; causa fuit, cur elegantissimas quasdam vereq; aureas elegantias ex *Adriano Cardinale, Francisco Sylvio, & aliis* excerptas collegerim, non omnes illas quidem (possent enim multò plures colligi) sed maximè illustres & insignes ob oculos posui, quò eas pueri in conspectu habeant, imitariq; faciliùs possint, quibus sanè puerorum studiis ad-jutum iri confido. Latius enim diffusa sunt apud illos authores *Elegantiarum Praecepta, quàm*

P R A E F A T I O .

ut breviter cognosci possint. Quid?  
 quod non pauca apud Vallam ac alios  
 reperio impedita, perplexa, obscura,  
 quae tantum abest, ut percipere queant  
 ii, qui sine cortice natate etiamnum  
 non didicerunt, ut etiam adultiores  
 facti, cogantur primum discere, quae  
 iam tum scire, & alios docere, oportebat.  
 Jam verò nihil addubitaverim,  
 quin omnes pedibus in hanc sint ituri  
 sententiam, pueris in inculto ac barba-  
 ro sermone aequè ac polito ornatòq; ad-  
 discendo sudandum esse. Quae igitur,  
 in alium, insania est, pueros non simul  
 atque prima grammatices elementa  
 perceperint, cogere, ut vel optimo di-  
 cendi generi assuescant? Id quod si fa-  
 cerent, atq; utinam facerent, praece-  
 ptores plerique, usu veniret, ut quum  
 nunc multis difficilia videntur, ipsis  
 quodammodo in naturae conditionem  
 transirent. Sed de his alio loco fortasse  
 prolixius sermocinabimur. Ceterum,  
 si quis est, qui usq; adeò livoris ac in-  
 vidie

## PRÆFATIO.

die aculeos in me erexerit, ut temperare sibi etiamnum non possit. quin & hunc laborem, utpote puerilem, lucubrationis hujus sugillet; is sciat, nos pueris hæc scribere, non Magistris illis admirandis, qui fortassis in concilio deorum fuerunt, quosq; Minerva artes edocuit omnes. Hos, ut quiescant porro, moneo, suæq; propriae rationem habeant jubeo, malefacta ne noscant sua. Satius mihi esse putem, ad Christiano homine dignius, lucubratiunculâ quantumcunq; exiguâ juvare propensam ad bonas literas juventutem, quam maledicò carmine proximum, & eum quidem innocentem, ledere, traducere, conspurcare. Quod si laboraremus de famâ nostrâ, in hac parte poteramus exemplo maximorû virorum tueri laborem nostrum. Sed quid ego horum refutationi insisto, quorum judicia tantum curo, quantum aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas. Vobis autem, Præ-

44 Stan-

## PRÆFATIO.

stantissimi Consules & Senatores integerrimi, libellum hunc meum inscribere & dedicare volui, cum quod omnes pios & prudentes Magistratus omni officiorum genere mihi colendos esse statuo, tum verò quod animus gratum beneficiorumq; in vestra Rep. acceptorum memorem ostendere cupio. Quod si intellexero, hanc lucubrationem vobis non ingrata fuisse, benevolentiam erga vos meam, Deo duce vitæq; comite, uberius quibuscunq; potero, officii declarare studebo. Valete. Data Tremonia. Mense Julio, Anno 1559.

Vestra Excell.

Additiss.

M. GEORGIUS Vogelmannus.

CA.

CAPUT I.

**I**nter Adjectivũ & Substantivum eleganter una aut plures dictiones interponuntur, aut enim Nomẽ, aut Pronomen, aut Verbũ, aut Adverbium, aut Prepositio, aut plures simul Orationis partes inseri à præclaris videas authoribus.

De Nomine interposito.

Exempla.

1. *Summam* parentes tui *letitiam* ex literis à te missis perceperunt.
2. *Præclara* Studiosorum *ingenia* laudantur.
3. *Magnò* Ecclesiam *damnò* Arrius affecit.

As

4. Cic.

4. Cic. Bonâ adolescentibus indole præditis, sapientes senes delectantur.

5. Idem. Philosophia omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum; ut ego, inventum Deorum.

6. Svet. Tanusius adjicit Crassum poenitentiam vel metu, diem cædi destinatum non obiisse.

7. Idem. In quibus abundante rerum copia pars apparatus exponeretur.

8. Idem. Conciliatio populi favore tentavit per partem Tribunorum, ut sibi Ægyptus provincia plebiscito daretur.

9. Idem. Nec obtinuit, adversante optimatum factione.

10. Idem. Deposita provinciæ spe, pontificatum maximum petiit, non sine profundissimâ largitione.

11. Idem. Publicanos remissionem petentes, tertiâ mercedum parte relevavit.



12. *Idem.* E duobus Consulatus competitoribus Lucio Luccio, Marcoque Bibulo, Lucium sibi adjunxit.

13. *Idem.* Primò præturæ die Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit.

14. *Cic.* Qui igitur adipisci *veram* justitiæ laudem volet, justitiæ fungatur officiis.

15. *Sueton.* Lucio Lucullo liberius resistenti *antum* calumniarum motum injecit, ut ad genua ultrò sibi accideret.

## De Pronomine inter Adjectivum & Subjectivum collocato:

Pronomen quoque non sine gratiâ cum suo verbo his interponitur ab illustribus scriptoribus.

### EXEMPLA:

1. Scripsi ad te nuper pro eâ, quæ  
A 6 mi-

mihi tecum jam pridem intercessit,  
*amicitiâ.*

2. *Honestâ* est, quæ à paucis colitur,  
*amicitiâ.*

3. *Malum* est, quò plerique dele-  
stantur, *ocium.*

4. *Cic.* Tantam vim habet illa, quæ  
rectè à bonò Poeta dicta est flexani-  
ma, atque omnium regina, *oratio.*

5. *Quint.* Ubi ego longè omnium,  
quos mihi videre contigit, summum  
oratore[m] Domitium Afrum valdè  
senem, quotidiè aliquid ex eâ, quam  
meruerat, *authoritate* perdentem:

6. *Cic.* Referri enim decet ad ea,  
quæ proposui in principio, *funda-  
menta.*

### Verbi interpositi Exempla.

1. *Terent.* Bona nostra hæc tibi  
committo, & *tue* mando *fidei.*

2. I.

2. *Idem.* Neque fuisse prægnantem unquam ante hunc scivi diem.

3. *Idem.* Et desinant maledicere, malefacta ne noscant sua.

4. *Idem.* Interea inter mulieres, quæ ibi aderant fortè, unam aspicio adolescentulam.

5. *Idem.* Dum tempus ad eam rem tulit, sivi; animum expleret suum.

6. *Idem.* Ita cursando & ambulando totum hunc contrivi diem.

7. *Cic.* Desine bonos petulantissimè confectari linguâ.

8. *Sveton.* Adjecit Cæsar etiam gladiatorum munus, sed aliquantò paucioribus, quàm destinaverat, partibus.

9. *Cic.* Inprimis quæ ut habeas, quibus cum possis familiares conferre sermones.

10. *Cic.* Testes sunt permulti, sed brevitatis causâ, familiâ erimus contenti unâ.

11. *Idem.* Nullis praesidiis septi,  
multis afficientur injuriis.

## Adverbii Interpositi.

### EXEMPLA.

1. *Quæ est tua tandem petulantia.*
2. *Terent.* Tum illa, ut consuetum  
facile amore cerneret, rejecit se in  
eum flens familiariter.
3. *Idem.* Uxor quid faciat, in manu  
non est mea.
4. *Cic.* Sed quid quæro velisne?  
cum literis tuis eruditissime scriptis,  
te vel maxime velle perspexerim.
5. *Idem.* Jam enim faciam eripiti-  
nibus penè dissolutis contra, atque  
in cæteris causis fieri solet.
6. *Idem.* Quam maxime injuriam affli-  
ctus omnibus officiis C. Pompeium  
affectatus est offensum patribus.
7. *Cic.* Me quidem certè tuarum  
actio-

actionum, sententiarum, voluntatum, rerum deniq; omnium socium comitemq;ve habebis.

Præpositio quoq; cum suo casu his venustè inseritur,

Ut:

1. *Magna pro beneficiis acceptis habenda est gratia.*

2. *Summam in præceptis discendis diligentiam adhibeant pueri.*

3. *Ter. Nullam de his rebus culpam commeruit tua.*

4. *Idem. Ibo, illis dicam nullam esse in nobis moram.*

5. *Idem. Et quia erat formâ, præter cæteras, bonestâ & liberali, accedo ad pedissequas.*

6. *Salust. Decere existimavi, ut nam ex tam multis orationem ejus perscriberem.*

7. *Cic.*

7. *Cic.* Quum præsertim matris tuæ gravissimæ atqve optimæ foeminae; *majora erga* salutem dignitatemqve meam, *studia*, quàm quæ à muliere erant postulanda, perspexerim.

9. *Idem.* Sunt ingeniis nostris semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, *ipsa*, nos ad Beatam vitam, *Natura* perduceret.

9. *Suet.* Constitutaq; ad arbitrium Republicæ Syllæ & Antonio Consulatus restituerentur.

10. *Idem.* De hâc significare videtur & Cicero, in quâdam ad Atticum epistolâ, referens, Cæsarem in Consulatu regnum confirmâsse.

11. *Idem.* Atqve in exercenda de sicariis quæstione, eos quoque sicario-  
rum numero habuit.

12. *Cic.* Sic existimabimur adepti conjunctam cum justitiâ prudentiam.

Cæterùm præcepto hoc venustè usus operam dabis, ne Adjectivum à suo

à suo substantivo longiùs distraha-  
tur, id quod, si neglexeris, cùm repre-  
hensionis notam incurres, tùm verò  
orationi obscuritatem afferes.

CAPUT II.

**D**E Adiectivorum col-  
locatione, proponen-  
dane sint suis substantivis  
an postponenda, nihil inve-  
nias certi; ea tamen præpo-  
sita attendas sæpiùs, pronom-  
inũ verò Adiectiva post-  
posita invenias sæpissimè &  
elegantissimè.

De Adiectivo No-  
minis.

1. Boni viri familiaritas mihi ju-  
cunda est.

2. Egregiis facinoribus immortalit-  
tati nomen commendatur.

3. Co.

3. *Cotidiana lectio* eruditionem auget & auget. Sic dicimus.

4. *Divinum ingenium.*

5. *Cadmea, vel, cruenta victoria.*

6. *Diurnum silentium.*

7. *Quint.* Naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus.

8. *Valer. Max.* Elevet aliquis præmia virtutis, quum animadvertat fortes viros feliciter sepeliri, quam vivere ignavos.

9. *Cicero.* Aliter enim ampla domus dedecori domino sæpè sit, si est in eâ solitudo, & maximè, si aliquando alio domino solita est frequentari.

**De adjectivis Pronominibus, veluti sunt: Hic, hæc, hoc, meus, eius, suus, noster, vester, ipse, iste.**

**EXEMPLA.**

1. *Ingenium tuum.*

2. *Honor meus.*

3. *Es.*



3. Favor ille.

4. Pietas tua.

5. Observantia mea.

6. Terent. Munus nostrum ornato  
verbis, quoad poteris.

7. Idem. Abi hinc quo dignus es,  
cum donis tuis tam illepidis.

8. Idem. Satietas me jam tenet stu-  
diorum istorum.

9. Idem. Matrem ipsam, ex aegritu-  
dine miseram, mors consecuta est.

10. Idem. Etiam si aetatem nostram  
non spatium senectutis, sed tempore  
adolescentiae metiamur, abunde,  
multos ad discendum annos habent.

11. Idem. Pompejus abunde diser-  
tus rerum suarum narratur.

12. Val. Max. Ea demum tuta est  
potentia, quae viribus suis modum  
imponit.

13. Idem. Res ipsa parva, sed animi  
mei dolor magnus est.

14.

14. *Idem.* Firmiter enim *majores nostri* stabilia matrimonia esse voluerunt.

15. *Idem.* Non oblivione *amicitiæ nostræ* neque consuetudinis meæ, superioribus ad te nullas literas misi.

*Elegantiam & concinnitatem sentias majorem, si inter hæc Adjectivum pronominale & Substantivum videlicet, aliud quippiam interposueris,*

Ut:

1. *Familiaritas tibi mea* fortasse non jucunda est.

2. *Labore mihi tuo* utilitatem paris.

3. *Liberalitas quodq; tua* amorem tibi conciliavit maximum.

4. *Avaritia tibi tua* omnium contrahit odia.

5. *Catul.* Remitte *pallium mihi meum*, quod involâsti.

6. *Cic.* M. Terentius in forum venit, ad *amicitiam se meam* contulit.

7. *Cic.*

7. *Cic.* Tanta enim liberalitate se-  
tuâ usos prædicabant, ut iis plus à te  
tributum intelligerem, quam ego  
auderem à te rogare.

8. *Idem.* Si proficisceret ad bel-  
lum, periculum te mecum commove-  
bat.

9. *Idem.* Sunt enim testes, & erunt  
sempiterni meritorum erga me tuo-  
rum, meaque pietatis.

10. *Idem.* Gravi teste privatus sum  
amoris summi erga te mei.

11. *Polit.* Longius distuli, quam  
fortassis singularis amor erga me tu-  
us, merebatur.

12. *Idem.* Studio in te meo & amoris  
obsequor.

13. *Idem.* Testibus non indiget  
amor erga te meus.

14. *Idem.* Mihi tamen omnino  
longè pluris est argumentum hoc  
amoris erga me tuæ.

## CAPUT III.

**A** Diectiva Omnis &  
Nullus Substantivis  
venustius postponuntur,  
quàm preponuntur.

Omnis Substantivo post-  
positum.

1. Virtus omnis.

2. Divitiæ omnes.

3. Studium omne.

4. Terent. Matres omnes filiis in  
peccato adiutrices, & auxilio in pa-  
ternâ injuriâ esse solent.

5. Quint. Frustra mala omnia ad  
crimen fortunæ relegamus.

6. Cic. Omnino, ut mihi quidem  
videtur, rerum omnium satietas vitæ  
facit satietatem.

7. Idem. Vera gloria radices agit,  
atque etiam propagatur, ficta omnia,  
tanquam flosculi, decidunt.

8. Idem.

8. *Idem.* Illiberales autem & sordidi questus mercenariorum omnium quorum operæ, non quorum artes, emuntur.

9. *Idem.* Atque ratio omnis dicendi, tribus ad persuadendum rebus, est nixa.

10. *Idem.* Quid dicam de thesauro rerum omnium, Memoriâ.

11. *Terent.* O mearum voluptatum omnium inventor, inceptor, perfector.

### *Nullus* Substantivò postpositum.

1. *Laborem nullum, causâ tuâ defugiam.*

2. *Amicum nullum.*

3. *Literæ nulle.*

4. *Premium nullum.* (gen.)

5. *Lingua nulla est, quâ id tibi ne-*

6. *Cic.* Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi, meo arbitratu, *facultas nulla* detur.

7. *Idem.*

7. *Idem.* Majus mihi dare *beneficium nullum* potes.

8. *Idem.* Sæpè videmus fractos pudore, qui *ratione nullâ* vincerentur.

9. *Idem.* Narrare quidem rem breviter jubent, si brevitas appellanda est, cum *verbum nullum* redundet.

## CAPUT IV.

**R**elativũ pulchrè, cum suo verbo, aut sine eo, interdum in casu eodem antecedenti preponitur, ita ut *is* sequenti verbo in casu respondeat, ut:

1. *Quam* mecum colis *amicitiam*, multi laudant.

2. *Quas* jam pridem optavi, suaves accepi literas.

3. *Quem* maximâ cum diligentia scripsi *Virgilium*, tibi concedo.

4. *Quâ* te complectar *amicitiâ*,  
ex

ex li  
spect

5.

que

vis a

tent

6.

lo co

causa

7.

tium

8.

habu

uxor

9.

quem

lum

10

huic

mne

**N**

ex literis ad te meis abundè satis *per-*  
*spectum est.*

5. *Quos homines securus nullius-*  
*qve rei curiosos putamus, in utram-*  
*vis aurem dormire, proverbiali sen-*  
*tentia dicimus.*

6. *Cic. Quos in urbe tumultus Mi-*  
*lo concitavit, multarum seditionum*  
*causa extiterunt.*

7. *Ter. Quod habui summum pre-*  
*tium, persolvi tibi.*

8. *Idem. Quam cum isto sermonem*  
*habueris, procul hinc stans accipi*  
*uxor.*

9. *Idem. Ipse eripuit vi, in digito,*  
*quem habuit, virgini abiens annu-*  
*lum.*

10. *Erasm. Deinde, quæ succedit*  
*huic, adolescentia, quàm est apud om-*  
*nes gratiosa.*

## CAPUT V.

**N**onnunquam Relati-  
vum

*um cum antecedente quidem, in eodem casu, eleganter ponitur, sed ita, ut cum Verbo, vel Adjectivo, sequente non consentiat.*

*Ut:*

1. *Quas ad me dedisti literas fuere suavissimæ.*

2. *Quem mihi commendasti hominem, fratris loco erit.*

3. *Quas fecit nuptias, non sunt veræ.*

4. *Ter. Ut placerent populo, quas fecisset fabulas.*

5. *Idem. Posthac, quas faciet de integro comedias, spectanda an exigenda sint vobis prius.*

6. *Ter. Quas credis esse has, non sunt veræ nuptiæ.*

7. *Quint. Vereor, ne, quos porrexeris cibos, venena fiant.*

8. *Livius. Quem ceperunt exules montem herbidus aqvesusq; est.*

9. 0.



9. Ovid. *Concidere manu, quas lege-  
rat herbas.*

10. Idem. *Quas geritis vestes, sordi-  
da lana fuit.*

Poëta interdum Relativum post-  
ponunt in hâc dicendi figurâ :

1. Virg. *Urberem, quam statuo, vestra  
est.*

2. Ter. *Eunuehum, quem dedisti no-  
bis, quas turbas dedit ?*

3. Plaut. *Neucratem, quem conve-  
nire volui, in navi non erat.*

Sed id genus orationes ab usu  
sunt remotiores.

CAPUT VI.

**I**Nter Nominativum &  
suum Verbum elegantis-  
simè collocatur Relativum  
cum aliâ sententiâ, quæ Par-  
enthesi includi potest.

Uc:

1. *Tempus (quod omnia revelat)*

B 2      osten-

ostendet rem contrà esse gestam, atque tu dicis.

2. *Sapientia* (quæ à plerisque contemnitur) est omni auro preciosior.

3. *Amicitia* (quam multis declarasti beneficiis) fecit, ut meam tibi operam, nunquam sim denegaturus.

4. *Cicero* (qui in dicendi facultate tanquam solis jubar effulsit) Archiæ Poëtæ hæreditatem reddidit. Miloni vitam donavit, & Cæsaris animum sibi conciliavit.

5. *Terentius*. Tamen vel virtus tua, vel vicinitas (quod ego inpropinqua parte amicitie puto) facit, ut te audacter moneam, & familiariter.

6. *Virg.* Ast ego, quæ divum incedo regina, Jovisque.

Et soror & conjunx, unâ cum gente tot annos

*Bellagero.*

7. *Cic.*

7. *Cic.* *Vultum* quidem totus, *qui sermo quidam tacitus mentis est*, hic in fraudem homines impulit eos, quibus erat ignotus, *decepit, fefellit, induxit.*

8. *Cicer.* Hæc eò pluribus dico, quod genus hoc totum *oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt.*

## De Ratione, ornatè auspicandæ finiendæque orationis.

Orationem hîc voco integram & perfectam sententiam, quam Grammatici tribus constare partibus docent, *Supposito, Verbo, & Obliquo.* *Suppositum* est Nominativus aut aliquid locò Nominativi positum *Verbum & Obliquum* alii *Appositum* vocant. Dialectici has partes vocarunt *Subiectum & Prædicatum.* Ut

B 3 cum

## ELEGANTIE

cum dico: *Cæsar adeptus est Monarchiam Imperii summis viribus.* Hic *Cæsar*, *suppositum* vocatur, apud Dialecticos *Subiectum*. Sed verbum *adeptus est*, cum reliquis obliquis *Appositum*, & *Prædicatum* dicitur. Itaque ne anxius sis alium à Grammaticis, alium ab Oratoribus servari collocandorum verborum ordinem, sequentes præceptiones subjungere visum fuit.

### CAPIT VII

**C**ommendabitur oratio, quæ ab obliquis seu dictionibus posterioribus initium sumit.

Ut:

t. *Darium* Alexander Macedo vidit: & summis viribus Imperii Monarchiam *Cæsar* adeptus est.

Ve-

*Venustiora & graviora profectò sunt, quam si hoc modò verba colloces.*

2. Alexander Macedo vicit Dari-  
um; & Cæsar adeptus est Monarchi-  
am Imperii summis viribus.

Quamobrem talem verborum  
collocationem, propter concinnita-  
tem diligenter observabunt elegan-  
tiæ studiosi.

EXEMPLA:

I. Genitivi.

1. *Hispania præclarissimam urbem  
Numantiam Scipio delevit.*

2. *Boni Pastoris est, tondere pecus,  
non deglubere.*

3. *Cicer. Epistolarum genera multa  
esse, non ignoras.*

4. *Idem. Judicis est, semper in cau-  
sis verum sequi; Patroni, nunquam  
verisimile.*

II. Dativi.

1. *Meis ad te scriptis literis accura-  
tè respondisti.*

B 4

2. *Diis,*

Mo-  
ibus.  
pud  
um  
quis  
L.  
am-  
vari  
rdi-  
sub-

A-  
seu  
ni-

vi-  
Mo-  
Ve-



2. *Diis, Parentibus, Magistris*, non facile parem invenies gratiam.

3. *Valer. Max. Cœnanti* apud Scopam, in Cranone, quod est Thessaliæ oppidum, nunciatum est, duos adulescentes ad januam venisse.

### III. Accusativi.

1. *Patrem* sequitur sua proles.

2. *Degeneres animos* timor arguit.

3. *Carthaginem* Scipio Africanus delevit.

4. *Splendorem* virtutis invidiâ obscurare conatus.

5. *Jovem* è Cœlo Gigantes expellere conati sunt.

6. *Cic. Alexandrum* regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit.

### IV. Ablativi.

1. *Parentibus* clarissimis ortus Ludovicus Plagius.

2. *Summa*

2. *Summâ indole præditus adole-  
scens.*

3. *A nobis, homo audacissimus,  
Catilina accusatus, in senatu, obmu-  
tuit.*

4. *Val. Max. Vetusto Macedonia  
more, regi Alexandro nobilissimi  
pueri, præstò erant sacrificanti.*

CAPUT VIII.

**M** *Emineris orationes  
verbis, quàm aliis  
orationis partibus  
finiri venustiùs. Imprimis  
verò Periodi quantum fieri  
potest, verbis claudenda  
sunt.*

Ut:

1. *Cic. lib 3. de orat. Consuetudo sit  
scribendi, atque dicendi, ut sententia  
verbis finiatur.*

2. *Idem. Vertere Græca in Lati-*

B 5

num

num, nostri oratores optimum *judicabant.*

3. *Cicer.* Ego vos hortari tantum possum, *ut* amicitiam omnibus rebus humanis *anteponatis.*

4. *Idem.* Non enim procacitate lingvæ vitæ sordes *eluantur.*

5. *Idem.* Pares cum paribus, veteri proverbio, *facilimè congregantur.*

6. *Salust.* Profectò fortuna in omni re *dominatur.*

### CAPUT IX.

**Q**uoties dictiones universales: *omnis, nullus, nemo, in formulis effervimus, eas graviùs & elegantius in fine, quam initio, aut medio, collocamus:*

Ut:

*Omnis positum in fine.*

I.A.



1. Amicitiam fortunis antepono  
*omnibus.*

2. Negotium suum, quam alie-  
num, conficere malunt *omnes.*

3. Literarum semel perceptarum  
dulcedo voluptatem exuperat *o-*  
*mnes.*

4. *Ter.* Ita plerique ingenio sumus  
*omnes.*

5. *Idem.* Jam tum erat suspicio do-  
lo malo hæc fieri omnia.

6. *Cic.* Aut nulla virtus est, aut  
contemnendus dolor *omnis.*

*Nemo in fine positum.*

1. Amicitiaæ fidem, qui bonus sit,  
fallat *nemo.*

2. Virtuti divitias qui sanâ mente  
sit, postponat *nemo.*

3. Ego callidiorum hominem vidi  
*neminem.*

4. *Cic.* Qui tibi non assentiretur,  
inveni *neminem.*

B 6

6. *Idem.*

On 6. *Idem.* Illò si veneris, tanquam Ulysses, cognosces tuorum *neminem.*

### *Nullus in fine collocatum.*

1. Animadvertimus ætate hæc, divites literis favere *nullos.*

2. Quæ tu scripsisti carmina, laudari audivimus à *nullo.*

3. *Cic.* Quæ igitur ea cupiditas ejus legis ferendæ, quæ turpitudinem summam habeat, gratiam *nullam?*

### CAPUT X.

**I**llud quoque observare debet politioris sermonis candidata pubes, orationem esse elegantem eam, quæ Comparativum vel Superlativum Nominis vel Adverbii in fine habeat.

*Exem-*

*Exempla Comparativi.*

1. Literarum scientia nobilitatem generis facit *clariorem*.

2. Dulcedo tecum loqvendi me compulit, ut epistolam scriberem aliquantò *longiorem*.

3. *Ter.* Ne me obtundas hac de re *sapius*.

4. *Cic.* Declarandum arbitror nihil mihi esse potuisse tuis literis *gratius*.

5. *Idem.* Orationem autem latinam efficies profectò legendis nostris *plenior*.

6. *Idem.* Agrò benè cultò nihil potest esse, nec usu uberius, nec specie *cultius*.

7. *Idem.* Videntur omnia repentina *graviora*.

8. *Idem.* Nihil enim tuâ vitâ potest mihi esse *jucundius*, neque *charius*.

## Superlativi, in fine positi.

### EXEMPLA.

1. Amicitia, quâ te prosequor, est *maxima*.

2. Quâ me complectaris benevolentiam, literæ tuæ testantur *amplissimè*.

3. Fratrum contentiones & iræ sunt *acerbissima*.

4. *Salust.* Jugurtha hominum, quos terra sustinet, *sceleratissimus*.

5. *Cic.* Hæc vobis leviora videntur, quæ sunt *gravissima*.

6. *Idem.* Frigus autem macilento corpori est *inimicissimum*.

7. *Idem.* Patris tui beneficia in me sunt *amplissima*.

8. *Idem.* Nimirum pecuniæ fructus est *maximus*.

9. *Idem.* Profectò ita est, ut id habendum sit antiquissimum, & DEO proximum, quod sit *optimum*.

CA.

## CAPUT XI.

**Q**uoties unum & idem  
 vocabulum in oratio-  
 ne eadem bis poni necesse  
 fuerit, id eleganter, sine ullo  
 medio, ponatur sibi proximè.

Ut:

1. *Amicus amici* consuetudine gau-  
 det.

2. *Amore amor*, ut *clavus clavo* tru-  
 ditur.

3. *Calliditate calliditas* vincitur.

4. *Terentius: Par pari* referto.

5. *Idem. Mulier mulieri* magis con-  
 gruie.

6. *Cic. Cura ut valeas, & me ut a-*  
*mas, ama.*

7. *Idem. Proximè & secundùm,*  
*DEOS, homines hominibus* maximè u-  
 tiles esse possunt.

8. *Gellius: Civica corona* ap-  
 pet-

pellatur, quam, *civis civi*, à quo servatus est in prælio, testem vitæ salutisq; perceptæ dat.

9. *Cic.* Nihil est tam illustre, nec quod latius pateat, quam conjunctio inter *homines hominum*.

10. *Erasmus.* Cujus equidem *absentis absens* memoriâ, non aliter frui solebam, quam *presens presentis* consuetudine consueveram.

## CAPUT XII.

**Q**uoties duo vocabula, quorum alterum ab altero factum sit in oratione eadem ponenda fuerint, ea non sine gratiâ, absque ullo medio, propè se collocantur.

Ut:

1. Si solitus est *servire servitatem*, sentit *leviorem*,

2. Ora-

2. *Orationes oratori futuro legendæ sunt.*

3. *Amicus amicitiam etiam alienam delectetur.*

4. *Cic. Nihil est cœlibe lectum letius atque fortunatius.*

5. *Idem. Facile fuit iustitia iustissimo viro defendere.*

6. *Idem. Delectaverunt me literæ tuæ, in quibus amavi amorem tuum, qui te ad scribendum incitavit.*

7. *Idem. Omnes qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur.*

8. *Plinius Jun. Postquam desimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.*

9. *Ovid.*

- - Neque enim lex justior  
ulla est,

Quam necis artifices arte perire  
suam.

## CAPUT XIII.

**V**ocabula duo, si sint in eadem oratione, quæ contrariam habent significationem, ea, sibi proximè posita, orationem efficiunt concinniorē.

Ut:

1. *Doctis indocti melius dicere vulgo videntur.*

2. *Causâ otii negotia suscipimus, utq̄ve vivamus in pace, bella suscipimus.*

3. *Cicer. Cimbri & Celtiberi in præliis exultant, lamentantur in morbo.*

4. *Idem. Videas in rebus injustis justos maximè dolere, imbecillibus fortes, flagitiosis modestos.*

5. *Quint. Qui stultis eruditi videri voluat, stulti eruditus videntur.*

6. *Idem. Rudia politis, & sparsa compositis numerosiora videntur.*

7. *Idem.*



7. *Salust.* Necessitudo etiam *timidos fortes* facit.

8. *Idem.* Neque divitiis aut superbiâ, sed bonâ famâ, factisque fortibus *nobilis ignobilem* anteibat.

CAPUT XIV.

**U**Na aliqua vox semel atq; iterum in oratione collocata, aut repetita, non parum splendoris atque ponderis orationi conciliabit.

Ut:

1. Amicitia nihil dulcius, nihil suavius, nihil hominis libertate dignius esse putem.

2. Quid justitiæ tuæ integritatem, quid liberalitatis magnitudinem, quid virtutum deniq; omnium, quibus ornatus es, sinceritatem prædicare nunc est opus?

*Cic.*

*Cic.* O vitæ Philosophia dux, ô virtutis indagatrix, expultrixqve vitiorum. Quia non modò nos, sed omninò vita hominum sine te non esse potuisset! Tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eas inter se, primò domiciliis, deinde conjugis, tum literarum & vocum communione junxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti.

3. *Idem.* Sit boni oratoris *multa* auribus accepisse, *multa* vidisse, *multa* animo & cogitatione, *multa* etiam legendo, percurrisse.

4. *Idem.* Nemo enim justus esse potest, *qui* mortem, *qui* laborem, *qui* exilium, *qui* egestatem timet, aut *qui* ea, quæ his sunt contraria, æquitati anteponit.

## CAPUT XV.

**P**articula seu voces duæ inclinatæ, idem propè signi-

*significantes, juxta se eleganter ponuntur, & perinde valent, ac si altera earum sola posita esset.*

Ut:

1. Spero fore, ut tecum tandem aliquando colloquar.

2. Id quidem certè jam sentio, quod metuere me tibi dixeram.

3. Certè profectò nisi cavebis diligenter, extremâ stabis fortunâ.

4. Cic. Mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus C. Pompejus multis audientibus hoc tribuit.

5. Idem. Quorum quidem certè est adhibendus modus, ad mediocritatem revocandus.

6. Sallust. Post ubi eorum famam atque pudorem attriverat, majora alia imperabat.

7. Cic. Ego enim, ut quem admodum  
sen-

sentiam, sic loquar, nunquam mihi  
minus, quam hesternò die, placui.

8. *Plaut.* Quia enim serò venimus.

Idem prope virium habent & hæ  
voces: Diu, & Multum, Omne,  
Quicquid.

Ut:

*Cic.* Utrum difficilius ac majus es-  
set negare tibi sapiùs idem roganti,  
an efficere, id quod rogares, *diu mul-  
tumq;*, Brute cogitavi.

### CAPUT XVI.

**A**ntequam, priusquam,  
Postquam à facundis  
oratoribus, ita usurpantur,  
ut ea dividant, inq; medio  
unum atque alterum ver-  
bum ornatè multum inter-  
ponant.

Ut:

Ut:

Nullas à me accipies literas antequam nuncius redierit; *Id venustius hoc modo efferas.*

1. Nullas à me *ante* accipies literas, *quam* nuncius redierit.

2. Mense tertio *post* ægrotare cœpi, *quam* Wittebergam veni.

3. Cic. *Ante* enim præterlabitur, *quam* percepta sit.

4. Plin. Coturnices etiam *ante* veniunt, *quam* grues.

5. Cicer. Quidam Numam Pompili-um regem nostrum fuisse Pythagoreum ferunt, qui annis permultis *ante* fuit, *quam* ipse Pythagoras.

6. Virg. *Ante* leves ergo pascentur in æthere cervi,

Et freta destituent nudos in litore pisces.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim.

*Quam*

*Quàm* nostro illius labatur pectore  
virtus.

*Priusquam* divisum.

1. *Ter.* Omnia *prius* experiri verbis, *quàm* armis sapientem decet.
2. *Cic.* Volo enim *prius* habeat orator rem, de quâ dicat, dignam auribus eruditis, *quàm* cogitet, quibus verbis quicquam dicat & quomodo.

*Postquam* divisum.

1. *Cæsar.* *Post* diem quartum *quàm* est in Britanniam ventum.
2. *Id.* *Post* diem tertium, *quàm* Africam attigit.
3. *Cic.* Quatuordecim annis *post* Prætor factus est Tuditanus, *quàm* Consul Mummius.

CAPUT XVII.

**P**roteritum Perfectum,  
ac Tempora inde forma-  
ma-

*mata in verbis Passivis,  
Deponentibus & Commu-  
nibus, ita eleganter ab au-  
ctoribus usurpantur illu-  
stribus, ut Verbum Sum,  
es, est, aliquo intervallo à  
preterito sejungant; inq̃  
medio aliquid interserant.*

*Ut:*

1. *Multis sum magnis præfidiis or-  
batus.*

2. *Amorem erga me tuum sum  
vehementer exosculatus.*

3. *Cicero. Marcellino & Philippo  
Consulibus nonis Aprilibus mihi est  
Senatus assensus.*

4. *Idem. Rejectus Austrò sum, in  
eum ipsum locū, unde conscenderā.*

2. *Idem. Nulla quæstio decreta à  
Senatu est.*

6. *Idem. In Republ. sum pariter  
cum Republica restitutus.*

C

7. *Idem.*

7. *Idem.* Quò etiam majore sunt isti odio supercilioqve digni, qui non solum domiciliis atqve delubris, sunt funestos atqve nefarios ignes inferre conati.

8. *Quint.* Cum à me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus

CAPUT XVIII.

**L**ectione authorum doctissimorum hoc quoque edoceri possis: Genitivum à dictione regente, ornatè interdum separari, inque medio horum aliquid interponi.

Ut:

1. *Literarum tuarum* sum profectò admiratus *elegantiam & venustatem.*

2. *Rerum* de quibus nuper ad me scri-



scripsisti, magna est *difficultas & subtilitas.*

3. *Cic. Cn. enim Octavii clari & magni viri, qui primus in eam familiam (quæ postea viris fortissimis floruit) attulit consulatum, statum videmq.*

4. *Idem. Multorum in nos perfidiam, insidias, prodicionem notabis.*

5. *Gel. Figurarum, quæ schemata geometræ appellant, generum duo sunt.*

6. *Sueton. In primis tuenda pacis, à grassatoribus ac latrociniis seditio- numq; licentiâ, curam habuit.*

7. *Iust. Hujus adolescentis supra ætatem virtus admirabilis fuit.*

CAPUT XIX.

**R**elativum Qui, Quæ, Quod, quoties Pronomen Hic, Is, & Ille, cum casibus, qui inde fiunt, antecedens habet; triplicem recipit

pit collocationem; aut enim suo antecedenti præponitur aut huic postponitur, aut sine eo solum in oratione collocatur.

Ut:

*Qui* fructum & utilitatem ex studiis suis percipere cupit, *is* diligenter exerceat stylum: *Hic Relativum*, (*Qui*) suo antecedenti præpositum vides, quod eidem postponi poterit hoc modo. Stylum diligenter exerceat *is*, qui fructum & utilitatem ex studiis suis percipere cupit. Jam Relativum *Qui* sine antecedente illò ponas licebit. Ut: *Qui* fructum & utilitatem ex studiis percipere cupit, diligenter exerceat stylum.

De primo modo, quo Relativum *Qui* antecedenti *Hic* vel *Is* præponitur.

*l. Cic.*

1. Cicero. *Qui* semel verecundiæ limites transierit, *eum* benè & gnavi- ter oportet esse impudentem.

2. Idem. Tunc malè se res habet, cum *quod* virtute effici debet, *id* ten- tatur pecuniâ.

3. Idem. *Qui* verò in liberâ virtute ita se instruunt, ut metuantur; *his* ni- hil potest esse dementius.

Qui antecedentibus *Is* vel  
Ille postpositum. Secundo  
modo.

1. Cicero. Oportet *eum*, *qui* parat, sperare se aliquo tempore imperatu- rum, & *illum*, *qui* imperat, cogitare, brevi tempore sibi esse parendum.

2. Quintil. Meliùs gubernantur *ea*, *quæ* consilio reguntur, quam *quæ* sine consilio administrantur.

3. Ter. Num ille somniat *ea*, *quæ* vigilans voluit?

C 3

Qui

**Qui**, Relativum, sine antecedente solum ponitur.

Modo tertio.

1. *Cicer.* *Qui* habet, ultrò appetitur; *qui* est pauper, aspernatur.

2. *Idem.* Nec me pudet, (ut istos,) fateri nescire, *quod* nesciam.

3. *Quint.* *Quae* vetera sunt, fuerunt olim nova.

4. *Idem.* Neque dignus operâ patroni, *qui* non utitur consilio.

### CAPUT XX.

**V**enustatē orationi adiciēs tua, si inter has particulas, *Ne quidē, Non solum, Non tantum, Non modo, Sed etiam;* dictionem unam aut alteram interpones.

Siquidem his inesse elegantiam putarunt celebrati nominis auctores.

Ne

## Ne quidem, Ut:

1. Ne nunc quidem.
2. Ne hoc quidem.
3. Ne id quidem.
4. Ne pilum quidem.
5. Ne tantillum quidem.
6. Ne ramenta quidem.
7. Ne pictum quidem vidit.
8. Ne Momo quidem displicet.
9. Cic. Nunquam illum, ne minima quidem re, offendi.
10. Idem. Planè quando, aut ubi te visurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum.
11. Svetonius. Adulteria exercuisse, ne amici quidem negant.

## Non tantum.

1. *Quintilianus*. Cùm in loca post aliquod tempus reversi simul, non ipsa agnoscimus tantum, sed etiam, quæ in iis fecerimus, reminiscimur.

C 4

2. Gel.

2. *Gellius*. Non culpâ tantum vacat, sed dignus quoque laude admirationeque est.

### Non solum.

1. *Non peccatum solum, sed peccati quoque occasio vitanda est.*

2. *Cicer*. Omnia memoriâ tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella.

3. *Idem*. Quæ gerantur, accipies ex *Pollione*, qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed præfuit.

### Sed etiam.

1. *Cic*. Haberi enim quæstui *Republ.* non modo turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium.

2. *Idem*. Admiror, nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam.

### Non modo.

1. *Quint*. Sententiis quidem non  
ora-

orationes *modò* sunt refertæ, *sed* libri  
etiam Philosophorum.

2. Cic. Me tibi *non* amicum *modò*  
verùm etiam amicissimũ existimes.

3. Svet. Homo *non* profundæ *mo-*  
*dò*, *sed* intempestivæ *qvogz* ac sordi-  
dæ gulæ.

CAPUT XXI.

**P**articulam *Qvam*, *quo-*  
*ties* ratione *Compara-*  
*tivi* orationi inseritur, *tri-*  
*pliciter* collocari observa-  
bunt studiosi.

1. Aut enim inter duos collocatur  
*Comparativos*:

2. Aut *Comparativo* inter duo vo-  
cabula ornatè preponitur.

3. Aut eidem postponitur.

*Qvam*, inter duos *Compa-*  
*rativos* positum.

Cs

I. Qvos

1. Quos amamus, eos *Amicius* quàm *verius* laudare solemus.

2. *Fortunator*, quàm *sapientior* es, *Reipubl.* administratio *boneratio* quàm *quictior* est.

2. *Salust.* Ego scio quàm aspera hæc res in principio futura sit; præfertim iis, qui se victoriâ *licentius liberiusq;*, quàm *rectius* usus credebant.

Quàm, inter duo vocabula  
Comparativum venustè  
præcedit.

1. *Amicitia*, quàm *pecunia*, delectat *amplius*.

2. *Divitiis*, quàm *virtuti*, invigilant *plures*.

3. *Quint.* *Cornelius* autem *Severus* versificator, quàm *Poeta*, *melior*.

4. *Salust.* *Regibus*, *boni*, quàm *malis* *suspectiores* sunt, semper his *aliena virtus* formidolosa est.

5. *Cic.*



5. Cic. Quamvis enim Themistocles jure laudetur, & sit ejus nomen, quàm Solonis, illustrius.

6. Idem Id re, quàm verbis faciam libentius.

Quàm inter duo vocabula collocatum, Comparativum sequitur, non tamen pari elegantia.

1. Quintil. Difficilius semper est creditum defendere, quàm accusare.

2. Idem. Facilius ediscimus verbum, quàm profam orationem.

3. Idem. Minus afficit sensus fatigatio, quàm cogitatio.

4. Cic. Morbi perniciosiores plures sunt animi, quàm corporis.

CAPUT XXII.

Non indignum observatum fuerit, magis, quàm, particulas duas sine

Co ulla

*ullâ voce mediâ conjungi,  
quàm disjungi elegantius.*

Ut:

1. Amicitia me delectat *magis,*  
*quàm* pecunia.

2. Cic. Grave est homini prudenti  
petere aliquid magnum ab eo, de  
quo se benè meritum putet; ut id  
quod petat, exigere *magis,* *quàm* ro-  
gare, & mercedis *potius,* *quàm* bene-  
ficii loco numerare videatur.

3. Salust. Jus bonumq̄ve apud eos  
non legibus *magis,* *quàm* natura va-  
lebat.

4. Idem. Alia belli facinora prædæ  
*magis,* *quàm* detrimento fore.

5. Idem. Servire *magis,* *quàm* im-  
perare parati estis.

6. Idem. In pace verò beneficiis  
*magis,* *quàm* metu imperium agita-  
bant.

7. Idem.

7. *Idem.* Neque quicquam te ad crudeles poenas, aut acerba iudicia vocat, quibus civitas vastatur magis quam corrigitur.

CAPUT XXIII.

**E** Legans dicendi genus est, & apud auctores bonos frequens, quoties has particulas, Quam & Ut post Comparativum in oratione coniungimus.

Ut:

1. Amor in te meus major est, quam ut dicere possim.

2. Clarior est fama tuae celebritas, quam ut lippis invidiae oculis videri possit.

3. *Cic.* Hoc quoque videtur esse altiùs, quam ut nos humi strati suspicere possimus.

4. *Idem.* Majore mihi ingenio vi-

videtur esse, quàm ut cum orationibus Lysia comparatur.

5. Quint. Id frequentius est, quàm ut exemplo confirmandum sit.

6. Cic. Nihil habet Cæsar nec fortunâ tuâ majus, quàm ut possis, nec natura melius, quàm ut velis, servare quàm plurimos.

## CAPUT XXIV.

**I**D quod Pronomina simul juncta, cultioris eloqui candiditati usurpant pro Quod, sive pro eò, quod domestico sermone quæ res dicitur.

Ut:

1. Bonus coquus pluris fieri solet, quàm vir doctus, id quod elevat literarum studia.

2. Immeriti cumulantur honoribus; viri boni repulsam patiuntur,

id

*id quod* in causâ est, cur non magnô studio, virtus ipsa colatur.

3. *Cic.* Diem consumi volebant *id quod* factum est.

4. *Idem.* Illi verò non modò cum hostibus, sed cum fluctibus, *id quod* fecit, dimicare melius fuit.

5. *Idem.* Quem verò non pudet, *id quod* in plerisq; video, hunc ego non reprehensione solùm, sed etiam poenâ dignum puto.

6. *Quint.* Rebus tamen acuti magis, quàm (*id quod* sanè non affectant) oratione magnifici.

7. *Salustius.* Ad hoc providendum est, quònam pactò Italia atq; provincie tutiores sint, *id quod* factu haut obscurum est.

## CAPUT XXV.

**C**onjunctio ut causatis  
 in medio orationis,  
 pro-

*propè verbum, quàm alio  
in loco, collocatur elegan-  
tius.*

Ut:

1. *Negotium hoc ut conficias, la-  
borandum est.*

2. *Amicitia nostra ut fiat ampli-  
or, crebris nos invicem literis salute-  
mus.*

3. *Terent. Eâ gratiâ simulavi, vos ut  
pertentarem.*

4. *Idem. Diligenter nuncios patri,  
advocatus mane mihi esse ut memi-  
nerit.*

5. *Idem. Ita sum irritatus animum  
ut nequeam ad cogitandū instituere.*

6. *Cic. Proponebat tabulam domi,  
potestas ut esset populo cognoscen-  
di.*

7. *Idem. Ita confusa est oratio, ita  
perturbata, nihil ut sit primum, nihil  
ut secundum.*

*S. Id.*

8. *Idem.* Quæ sic ab illô acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici lachrymas *ut* tenere non possent.

## CAPUT XXVI.

**E**legantioris sermonis studiosi illud quoque in memoria thesaurum reponant, has particulas, *ut ne*, non inusitatè conjungi, proque *ne* poni, tum apud Cicero-  
nem, tum alios auctores bonos.

Ut:

1. *Cic.* Justitiæ primum munus est, *ut ne* cui noceas, nisi laceffitus injuriâ.

2. *Idem.* Neve committas, *ut ne*, cum omnia suppeditata sint à nobis, tute tibi defuisse videare.

3. *Idem.* Agendum est etiam, *ut ne* ea facere videamur irasci.

4. *Id.*

4. *Idem.* Lugendi est etiam quidam modus retinendus, *ut ne nimis omnia profundamus.*

5. *Ter.* *Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.*

6. *Idem.* Peregrè rediens, semper cogites, aut uxoris mortem, aut morbum filia, communia esse hæc, fieri posse, *ut ne quid animo sit novum.*

7. *Idem.* Hæc mihi cura est maxima, *ut ne cui mea longinquitas ætatis obstet, mortem me exoptet meam.*

### CAPUT XXVII.

**P**ræpositiones quasdam non in venustè suis casibus postponi *observare debent incorrupta Latinitatis amatores.*

Ut:



Ut:

1. *Cic.* Habes, quibus cum possis familiares conferre sermones.

2. *Idem.* Quid dulcius quam habere, quò cum omnia audeas, sic loqui, ut tecum.

3. *Idem.* Nihil mihi tam deesse scito, quam qui cum hæc familiariter doctèque rideam.

4. *Terent.* Essem unà qui cum cupiebam.

De.

1. *Multis de causis Cæsar majorem Galliarum motum expectans.*

2. *Gellius.* Quònam modo veteres nostri particulam istam, qua de agitur, usi sunt.

Penes.

1. *Cic.* De illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil video.

2. *Quint.*

2. *Quintilian.* Neminem posse dare alteri matrimonium, nisi *quem penes sit patrimonium.*

## CAPUT XXIIX.

**P** *Articulam Quòd Post Ideò, Propterea, Idcirco, & Eò positam, aut sine his etiam, pro Quia eleganter idonei usurpant auctores.*

Ut:

**Ideò quòd.**

*Cicer.* Re quidem ipsa *ideò* mihi non satis facio, *quòd* nullam partem tuorum meritorum, non modò referendi, sed ne cogitandi quidè gratiã consequi possim.

**Propterea quòd.**

1. *Terent.* Ego vitam Deorum, *propterea* sempiternam esse arbitror, *quòd*

*quod* voluptates eorum proprię sunt,  
hoc est, perpetuę.

2. *Cic.* Egomet, qui te te consolari  
cupio, consolandus ipse sum; *pro-*  
*pterea*, *quod* nullam rem gravius  
jam diu tuli, quam incommodum  
tuum.

### Idcirco quod.

*Cic.* Etsi non *idcirco* eorum usum  
dimiseram, *quod* iis succenserem, sed  
*quod* eorum me suppudebat.

### Eo quod.

1. *Cic.* *Eo* ad te tardiùs scripsi,  
*quod* quotidie te ipsum expectabam.

2. *Idem.* *Eo* quidem loquor confi-  
dentiùs, *quod* Catulus auditor acces-  
sit.

3. *Idem.* Idque mihi *eo* magis est  
cordi, *quod* ex omnibus seculis vix  
tria aut quatuor nominantur paria  
amicorum.

Quod

Quòd, pro quia, solum  
positum.

1. Ob id te sæpiùs reprehendo,  
*quòd* impensius diligo.

2. Cic. Noctu obambulabat in pu-  
blico Themistocles, *quòd* somnum  
capere non posset.

3. Idem. Amabilior mihi Lælia  
fuit, *quòd* te ab eâ sensi amari.

CAPUT XXIX.

**P**ronominibus qui, quæ,  
quod, in oratione in-  
terrogativâ positis, multâ  
cum venustate præfigitur  
**Ec** particula.

Ut:

1. *Ecquis* est, qui me conventum  
cupit?

2. Velim ad me scribas, *ecquem*  
ha.

habeas amicum, quò cum animum relaxaturus in studiis tuum, sermonem sociare possis?

3. *Terent.* *Ecquid nos amas de fidicinâ hac?*

4. *Cicero.* *A Curione velim scire, ecquid ad te scriptum sit à Tirone.*

5. *Idem.* *Ecquæ poterit esse in agnoscendo distinctio?*

6. *Idem.* *Deinde interrogares, ecquos nam alios possent nominare.*

7. *Idem.* *Quæso, ecquod tantum malum putas, quod in meâ calamitate non sit?*

8. *Idem.* *Ecquid præsidii unquam habueris? ecquem in castris consulem? ecquem exercitum?*

CAPUT XXX.

**G** Ratisima doctis auribus oculisq; spectatissima oratio est, in quâ eius-

jusdem nominis adjectivi  
positivum, comparativum  
& superlativum, velut per  
gradationem quendam po-  
nimus.

Ut:

1. *Felix* est, cui animum bonum  
diligere contingit; *felicior*, qui ab eo  
litteras multas accipit; *felicissimus*,  
cui cum eo vivere datum est.

2. Cum eo *præclarè* agitur, qui pe-  
cuniæ indigens literarum studiosus  
est; *præclariùs*, cui cum scientiæ cu-  
pitudine pecuniæ adest copia; *præcla-  
rissimè*, cui ea literarum cupiditas  
earum professione exatiata est.

3. *Plaut.* *Miser* homo, qui ipse sibi  
quod quærit, id ægrè invenit. Sed  
ille est *miserior*, qui & ægrè quærit,  
& nihil invenit. Ille *miserrimus*  
est, qui, cum esse cupit, quod edat  
non habet.

4. *Plin.*

4 *Plin.* Malum patrem familiâs, quisquis interdium faceret, quod noctu posset, nisi in tempestate cœli, *Pejorem*, qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet, *Pessimum*, qui serenô die sub tectis potiùs operaretur, quàm in agro.

5. *Erasmus.* Paucis contingit formæ decus, paucioribus divitiæ, paucissimis eloquentia.

CAPUT XXXI.

**P**ulchrum est & illud dicendi genus, quoties post superlativum ponitur Comparativus ejusdê nominis, qui significatum Superlativi quodammodo superare videtur.

Ut:

1. Mihi quidem *amicissimus*: esles

D ta-

tamen *amicior*, si sæpius ad me scriberes.

2. Literæ tuæ mihi *jucundissimæ* fuerunt, eoq̄ve *jucundiores*, quòd ex iis te perbellè valere intellexi.

3. *Cic.* Vale igitur, mi Cicero. tibiq̄ve persuade, te mihi quidem esse *charissimum*, sed *multò* fore *chariorem*, si talibus monumentis præceptisq̄ve lætabere.

4. *Idem.* Cùm ipsum Furnium per se *libentissimè* vidi, tùm hoc *libentiùs* quòd illum audiens te videbar audire.

5. *Idem.* Hoc tibi propone, amplitudinem, & quasi exaggerationem quàm altissimam animi, quæ maxime eminet in contemnendis & despiciendis doloribus, unam esse omnium rerum *pulcherrimam*, eoq̄ve *pulchriorem*, quæ, si vacet populo, neq̄ve plausum captet, se tantùm ipsa delectet.

b. O.



6. Ovid. Accedat lachrymis odi-  
um, dignusque puteris,  
Qui mala cum tuleris plurima,  
plura feras.

CAPUT XXXII.

**P**ronomen Is, post copula-  
tivam conjunctionem,  
non sine Venere, quasi in E-  
pexegefi, id est, expositione,  
sive declaratione praece-  
denti collocatur.

Ut:

1. Alexander superavit Darium  
cum infinito exercitu, & id in adole-  
scentiam.

2. Veste erat indutus talari, & ea  
tetra, & sordida.

3. Hic paucis superbit nummis,  
nec iis suis, sed aliunde corrogatis.

4. Unicam tantum a te accepi epi-  
stolam, & eam per brevem.

D 2

5. Cic.

5. Cicero Berathrum, & cum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis districto gladio jubebat anteire,

## CAPUT XXXIII.

**A**rcana quoque elegantia est Ciceroni usitatissima, cum Pronomen ille, cum conjunctione quidem jungitur, quoties aliquid concedimus, à quo mox aliud removebimus.

Ut:

1. Cic. Qui autem summum bonum in virtute ponunt, præclare illi quidem, sed hæc ipsa virtus amicitiam & gignit & continet.

2. Idem. In quo eò magis nobis laborandum est, quòd multi jam esse Latini libri dicuntur scripti, ab optimis

mis illis quidem viris, sed non satis eruditis.

3. *Idem.* Atque hoc loco Philosophi minimè mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam & commentitiam fabulam dicunt à Platone.

4. *Erasmus.* Si quidem adjecimus libellum, de Amicitia, alterum de Senectute, alterum de Paradoxis, atque in omnes annotatiunculas quasdam, breves quidem illas, sed nō fallor, haudquaquam incommodas.

## CAPUT XXXIV.

**O** Rationes Indicativi  
& Subjunctivi Modi,  
quæ particulas quòd vel ut  
sibi annexas habēt, ornatè  
pueri in infinitivi constru-  
tionem resolvere poterint,  
Nominativò in Accusati-  
vum, & Verbo in Infiniti-

D 3 VUM

*vum mutatio, abiectionis quod  
velut:*

1. Ajunt, quod probi adolescentes depraventur consuetudine malorum; hoc sic resolvi potest: Ajunt, probos adolescentes depravari consuetudine malorum.

2. Terent. Chremes venit clamitans, indignum facinus comperisse se, Pamphilum pro uxore habere hanc.

3. Cic. Te à me amari plurimum, judicabis.

4. Ter. E flammâ te cibum petere posse, arbitor.

5. Plin. Jun. Audio, Valerium Martialem decessisse, & molestè fero.

6. Cicero. Anaxagoram ferunt, nunciatâ morte filii, dixisse; sciebam me genuisse mortalem.

7. Caesar. Ex iis cognoverunt, Caesarem ipsum in classe venisse.

8. Ter. Optavit se inhonestè hic parare divitias, quàm in patriâ honestè

pau;

pauper vivere, *Hoc est, ut pararet divitias potius, quam pauper viveret.*

## CAPUT XXXV.

**O** Rationes Indicativi & Subjunctivi modi, precedentibus, Cum, Dum Postquam, & similibus particulis, ornatè multum, in duos ablativos commutabis, quorum alter sit nominis, alter participii.

Ut:

1. *Cum* Roma floureret, atque Scipio Africanus regnaret, est Respublica benè administrata. Hanc locutionem eruditius efferre poteris: Romà florente, atque Scipione Africano regnante, est Respublica benè administrata.

2. *Cum* Julius & Pompejus inter se dissentirent, summum est civi-

le bellum ortum. *Hanc simili modo elegantius eloqui possis:*

Ut:

3. *Julio & Pompejo inter se dissentientibus, summum est civile bellum ortum.*

4. *Mulier, amissâ pudicitia, nihil habet reliqui, quod laudandum putes, id est, cum amisit pudicitiam.*

5. *Cicer. Oppressâ libertate patriæ, nihil est, quod amplius speremus.*

6. *Idem. Appropinquante morte, animus multò est divinior.*

#### CAPUT XXXVI.

**Q**uoties Nominativo Uni, Duo vel plura verba, aliquâ copulâ, conjunguntur, iis abjectis, & verbis in gerundia vel participia commutatis, orationem construes elegantiorẽ.

Ut:

Ut:

1. Cicero à primis annis oratoriæ facultati vacavit, & multos eloquentiæ patrocinio *servavit*, incredibili *svavitare perorando*.

2. Lycurgus canes educavit duos, quorum alter in culina semper *obambulans*, unctioribus cibis *inhabitabat*, mollibusque scamnorum *plumis assultando* tempus ociosè *transmittebat*.

3. *Cæsar. de bell. Gall.* Ad hoc autem incommodum accesserat, quòd Cæsar non modò Imperatorum superiorum exercitum continebat, sed in tertio quartoque die *procedendo*, castra *communiebat*, opereque faciendo milites, se *circumspiciendi*, non habebant facultatem.

CAPUT XXXVII.

**G**erundia in participia  
Gita commutata, ut  
D S CUM

*cum Nominibus Substanti-  
vis sibi junctis genere, nu-  
mero & casu conveniant,  
gratiora sunt, ac si cum ca-  
su sui verbi efferantur.*

Ut:

1. *Studendi juris causâ, sum in Aca-  
demiam missus.*

2. *Poëtica discenda gratiâ hûc veni.*

3. *Gerendorum bellorum causâ,  
princeps proficiscitur.*

4. *Gratiâ salutandorum amicorum  
domum redeo.*

5. *Eo ad emendas vestes.*

*Hec omnia elegantiora sunt, quàm  
si dixeris: Causâ studendi jus, discen-  
di Poeticam, & Eo ad emendum  
vestes.*

6. *Cicer. Nunquam mihi tui colen-  
di aut ornandi voluntas defuit.*

7. *Idem. Ut primùm mihi potestas  
data est augenda dignitatis tue, ni-  
hil prætermisi.*

8. *Idem.*



8. *Idem.* Quid tam difficile est, quam in plurimorum controversiis dijudicandis ab omnibus diligere?

## CAPUT XXXIIX.

**F**ormule, in quibus est Relativum *Qui, Quæ, Quod,* & verbum presentis, præteriti & futuri temporis, venustè ita commutantur, ut Relativum omitatur, & verbum in participium commutetur.

Ut:

1. Redama eum, qui te amat. Hoc sic rectius offeres: *Amantem* te redama. Item: Rete non tenditur accipitri, neque milvio; illis, qui nihil nocent, tenditur. *Elegantius* dixeris.

2. *Nihil nocentibus* tenditur.

Bonarum artium studio quaeritur nomen, quod nunquam peribit *Rectius* & *Latinus* est.

D6

3. Bo

3. Bonarum artium studio quaeritur nomen nunquam perituum.

*Item in eruditum est:*

Compara tibi divitias, quæ semper durabunt.

*Latinum est:*

4. Compara tibi divitias semper duraturas.

5. Res celerem finem habituras summoperè exposcimus.

6. *Erasm.* Hic quicquid undecunque corradere potest, id totum donat ventriculo, paulò post fortiter esuriturus.

7. *Idem.* Ille versuris ac ære alieno divitem se putat, mox omnia decurturus.

#### CAPUT XXXIX.

**L**ocò illorum verborum,  
Cupio, Volo, Desidero,  
Intendo, Debeo, cum  
particulis Si vel Cum, or-  
na.

*natisimè utimur Participio Futuri temporis, abie-  
ctis Si & Cum, particulis.*

Ut:

*Incultus sermo est.*

Si intendis, vel cupis, scribere car-  
men succiplenum, Virgilium legito.

*Elegans est:*

1. *Scripturus* carmen succiplenum  
Virgilium legito.

*Item.* Si cupis orare, cubiculum  
intrato.

*Latinum est:*

2. *Oraturus*, cubiculum intrato.

*Item:*

3. *Auditurus* concionem tem-  
plum subito.

4. *Scripturo* mihi has ad te literas,  
nunciatum est, te esse in Italiam pro-  
fectum.

5. *Erasmus in Mor.* Deinde *dicturi*

D 7

de

de charitate, à Nilo Ægypti fluvio  
 sumunt Exordium; aut crucis my-  
 sterium *enarraturi*, à Babylonico  
 dracone feliciter auspiciantur; aut  
 de jejunio *disputaturi*, à duodecim  
 Zodiaci signis principium faciunt;  
 aut de fide verba *facturi*, de quadrâ  
 circuli præloquuntur.

## CAPUT XL.

**V**erba omnia motum  
 ad locum significantia,  
 variè efferuntur; aut enim  
 cum priori Supino; aut Ge-  
 rundio; aut Participio Fu-  
 turi temporis, commutari  
 possunt.

Ut:

1. Venit, ut eripiat virginem.
2. Venit, ereptum virginem.
3. Venit, ad eripiendam virginem.
4. Ve-

4. Venit eripere virginem, & :

5. Venit erepturus virginem. *Quae postrema formula omnium est eruditissima.*

Alia formula commutata.

1. Hic festinat, ut omnia bona sua profundat.

2. Festinat, profusum omnia bona.

3. Festinat, ad profundendum sua bona.

4. Festinat ad profundenda sua bona.

5. Festinat, profundere bona sua.

6. Festinat, profusus sua bona; Harum tamen penultima Graecis, quam Latinis est familiarior.

CA.

## CAPUT XLI.

**F**uturum Passivum Infinitivi modi venustissimè ponitur pro Participio Futuri temporis in Dux & Verbo Esse.

Ut:

1. Existimâram, me nunquam à te ludibrio lædendum esse; *id ornatius Cicero effert.*

Ut:

1. Cic. Existimâram, pro mutuô inter nos animo, & pro reconciliatâ gratiâ, me nec absentem ludibrio læsum iri.

2. Idem. Ejus literis omnia perlatum iri ad senatum putabam.

3. Idem. Atque hoc addidit testimonii, suâ illum sententiâ, quam palàm omnes laturi essent, *condemnatum iri.*

4. Te-

4. *Terentius.* Qui postquam audierat, non *datum iri* filio uxorem suo.

5. *Idem.* Et illam sine tuâ operâ in cubiculum *iri deductum* domum.

6. *Salust.* Ita ratus Jugurtham aut præfidiis *rudatum iri*, aut prælio certaturum.

7. *Idem.* Neque hominem nobilem non suâ ignaviâ, sed ob Rempublicam in hostium potestate *relictum iri*.

CAPUT XLII.

**A** *Dijectiva masculina*  
 & *fœminina in genus*  
*neutrum sic commutata, ut*  
*Substantivum subjiciatur*  
*in Genitivo, latinam & ele-*  
*gantem formulam consti-*  
*tuunt.*

Ut:

Ut:

Elegantia est:

<i>Plurimum</i>	] <i>Laudis consecutus es: Pro</i> [	[ <i>Plurimam</i> ]	] <i>Laudem consecutus es.</i> [
<i>Multum</i>		[ <i>Multam</i> ]	
<i>Parum</i>		[ <i>Modicam</i> ]	
<i>Nihil</i>		[ <i>Nullam</i> ]	
<i>Tantum</i>		[ <i>Tantam</i> ]	
<i>Quantum</i>		[ <i>Quantam</i> ]	
<i>Aliquid</i>		[ <i>Aliquam</i> ]	
<i>Quid</i>		[ <i>Quam</i> ]	
<i>Hoc</i>		[ <i>Hanc</i> ]	
<i>Plus</i>		[ <i>Majorem</i> ]	
<i>Minus</i>	[ <i>Minorem</i> ]		

2. *Terent.* Cur non accersi jubes filiam, quod dotis duci firmas.

3. *Quint.* Sol universis idem lucis & caloris largitur.

4. *Cic.* Mihi poenarum plus, quam illi optarent, dederunt.

5. *Terent.* Nihil est periculi, me videre.

Sic



*Sic dicimus:*

6. *Hoc habes nobilitatis, hoc honoris tibi semper deferam, pro; hunc honorem, & hanc nobilitatem.*

## CAPUT XLIII.

**D**Uobus vel pluribus Substantivis singularibus venustissime subjicitur aliud Substantivum plurale à scriptoribus eloquentissimis.

*Ut:*

1. *Fridericum & Johannem fratres hodiè per literas salutavi.*

2. *Virgilii & Ovidii Poëtarum carmina non possum satis laudare, colere, suspicere.*

3. *Rhenum & Albim nobilissima flumina navigio trajeci, patriæ me reducom exhibiturus.*

4. *Cic. Usque ad Casarem & Fabium Consules.*

5. *Id.*

5. *Idem.* Hæc tu mandata *L. P. iso* & tu *L. Philippe Principes* civitatis, non dico, quô animô ferre; verùm, quibus auribus percipere potuistis?

9. *Idem.* *Marcellino* & *Philippo Consulibus*, nonis Aprilibus mihi *Senatus* est offensus.

7. *Sveton.* Fluminibus *Rheno* & *Rhodano* continuetur.

8. *Idem.* *Tarpejo Diodoro* cytharædis ducenta, nonnullis centena, quibus minimum quadragena sesteria, insuper plurimas coronas auri dedit.

9. *Idem.* Eô testamento *heredes æquis* partibus reliquit *Cajum* ex *Germanico*, & *Tiberium* ex *Druso nepotes*.

## CAPUT XLIV.

**D**Uobus item vel pluribus Adjectivis singularibus additur Substantivum,

vum, tam pluralis, quam  
singularis numeri, sed plu-  
rali elegantius uteris.

Ut:

1. *Primum & secundum capita Jo-*  
*hannis Evangelistæ legi, perlegi, poë-*  
*ticis numeris astrinxi.*

2. *Tricesimo octavo, & tricesimo no-*  
*no capitibus dira nobis vaticinatur.*  
Propheta Ezechiel de Turcâ fatali  
hoste, & vastatore omnium crude-  
lissimo.

3. *Quintum & Septimum Tomos o-*  
*perum Divi Augustini sibi compa-*  
*ravit.*

4. *Plin. De Ægyptio & Cretico La-*  
*byrinthis jam dictum est.*

5. *Sueton. Unum & alterum Consu-*  
*lares oblatis provinciis non ausus*  
*est à se dimittere.*

6. *Curt. Quid autem interest, toti-*  
*dem*

dem sint quot Porus habuit an tria millia cum uno aut altero vulneratis.

7. Cicero. Cujus inter primum & sextum consulatum, sex & quadraginta anni interfuerunt. Hic Cicero duobus adjectivis adjunxit substantivum singulare.

Sic rectè dicitur Primam & Secundam Eclogas sive Eclogam nobis enarravit.

#### CAPUT XLV.

**V**ocabulorum propè idem significantium usurpatio, orationis vim & pondus auget, quod fit, cum rem unam vocibus multis, quae synonyma aut ferè synonyma sint, ornatè efferimus.

Ubi tamen hoc monuisse non inutile sit; voces eo ordine collocandas esse,

HF

ut quacūq; postremo loco ponitur, MA-  
jorem, quā quae praecessit, vim atque  
efficaciam habeat.

Ut:

1. Incredibilem hanc in te dicendi  
facultatem laudant, extollunt, & aspi-  
ciunt.

2. Eruditionem tuam omnes uno  
ore praedicamus, extollimus, exebimus.

3. Nihil eqvidem lego oratione  
tuā elegantius, venustius, divinius.

4. Cic. Defendimus eas leges, quas  
ipse nobis inspectantibus recitavit,  
pronunciavit, tulit.

5. Idem. Omnibus, qui patriam  
conservarint, auxerint, certum esse  
in caelo definitum locum.

6. Idem. Poetae cum magnam spe-  
ciem doctrinae sapientiaeque praese-  
tulerint, audiuntur, leguntur, ediscun-  
tur, & inherescunt penitus mentibus.

7. Id.

7. *Idem.* Pythagoreorum more exercendæ memoriæ gratiâ, quid quoque die *dixerim, audiverim, egerim,* commemoro vesperi.

8. *Quintil.* Jucundissima in oratore *humanitas, facilitas, moderatio, benevolentia.*

9. *Terent.* Adeone me *ignarum* putas? adeone porro *ingratum,* aut *inhumanum,* aut *ferum,* ut neque me consuetudo, neque amor, neque pudor commoveat.

10. *Idem.* Pergisne *scelestam* mecum perplexè loqui?

Quid ais *venefica?* Quid ais *sacriliga?*

11. *Peti.* Nihil apud nos invenies Laurentio *placidius, mansuetius, dulcius;* nihil *blandius, humanius, benignius;* postremò nihil *modestius, candidius, amabilius.*

CA.

## CAPUT XLVI.

**O**mnis oratio acrimo-  
niam majorem, vehe-  
mentiam, & impetum ha-  
bet, per interrogationem,  
quàm simpliciter, elata.

Ut:

1. Quid in vitâ hominum amicitia  
dulcius est?

2. Studio literarum quid invenies  
jucundius?

3. Cic. Quousq; tandem abutere,  
Catilina, patientiâ nostrâ, & patere  
consilia tua num sentis?

Quantò magis ardet quàm si dice-  
rerur; diu abuteris patientiâ nostrâ,  
& patent tua consilia.

4 Idem. Quid est enim stultius,  
quàm incerta pro certis habere, falsa  
pro veris?

5. Idem. Quis unquam dubitavit;  
quin in Republ. nostrâ primas elo-  
quentia tenuerit, semper urbanis

E pa-

pacatisque rebus secundas juris scientia?

6. *Idem.* Quid turpius, quam sapientis vitam, ex insipientium sermone pendere?

7. *Idem.* Quid enim dulcius ocio literatio?

8. *Idem.* Quid est autem seipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursus in suum locum congerere?

9. *Idem.* Quid est per Deos, optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius?

#### CAPUT XXVII.

**Q**uando duo, quae paria sunt, dicuntur particula Tum eleganter geminatur; Si imparia, levius per particulam Cum effeferendum & preponendum, gra-



*gravius verò cum tùm post-  
ponendum.*

Cui hoc ascriptum vo-  
lo: *In rebus imparibus par-  
ticula Tùm adjungi non in-  
usitatè præcipue, maximè  
verò.*

**Exempla de rebus  
paribus.**

1. *Odit, tùm virtutem, tùm libera-  
les artes omnes.*
2. *Tùm optimis moribus, tùm eru-  
ditiõne eximiâ præditus adolescens.*
3. *Matrem tuam novi tùm piam,  
tùm honestam matronam.*

**Rerum imparium, id est,  
quarum altera minoris, & al-  
tera majoris est momenti seu  
ponderis, Exempla.**

E 2

Ut:

Ut: 1. Cic. Plurimum valuisse apud me tuam semper auctoritatem, *cum* in omni re, *tum* in hoc *maximè* negotio, potes existimare.

2. Quint. *Cum* omni in studiorum genere, *tum* in hoc *precipue* bona valetudo, quæque eam *maximè* præstat frugalitas, necessaria est.

*His particulis non ineptè, opinor uteris in locutionibus, in quibus Germani dicunt: Sürnehmlich / und sonderlich / und allermeist. Id quod Exemplis manifestius fit.*

Ut:

Alle die uns gutes erzeiget haben / sollen wir lieben / und sonderlich unsere Præceptores.

*Hanc locutionem Germanicam ita venuste & eleganter latinitate donaveris.*

*Cum* omnes benè de nobis meritos amare debemus, *tum maximè* Præceptores nostros.

Item: Ich habe dich oft vermahnet

net

net zu der Jugend/und stetigem Fleiß  
im Studiren/ uñ fürnehmlich in mei-  
nen nechsten Briefen.

*Cum* sæpè aliàs te ad virtutem &  
diligentiam in studiis assiduam ad-  
hortatus fui, *tum* verò in proximis  
ad te literis id feci.

## CAPUT XLIIIX.

**T**antum abest, *hic* lo-  
quendi modus orationi  
tua leporis & elegantia ad-  
jiciet plurimum. Postulat  
autem Verbum Conjuncti-  
vi modi cum particula *Ut*  
*præposita*, aut alia senten-  
tia, cum eadem particula  
annectitur.

Ut:

1. *Tantum abest*, ut fratrem tuum  
lethaliter vulnerârim, *ut ne* manu  
quidem ipsum attigerim.

E 3

2. Cic.

2. Cic. *Tantum abest*, ut nostra miremur. *ut usq;* eò difficiles ac morosissimus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes.

3. *Idem Tantum abest*, ut scribi contra nos nolimus, *ut id etiam maxime optemus.*

*Hoc loquendi modo commodissime uteris, ubi Teutonicè dicimus: Ich schweige daß / vel Ich wil geschweigē.*

*Es gehet kein Tag fürüber / auff welchen ich nicht an dich gedencke / ich geschweige deñ / daß du mir gänzlich soltest vergessen seyn.*

*Tantum abest, tui ut oblitus sim, ut nullus pratercat dies, quin mihi in mentem tui veniat.*

*Item:*

*Dein Bote ist wol sechs Tage weggezogen / als mir solches ist kund geworden / ich wil geschweigen / daß ich von seinem Abschiede solte gewußt haben.*

*Tantum abest, ut tui discessus hinc*  
ta

tabellarii mihi cognitus fuerit, ut  
jam tūm sex dies abierint, cum id  
mihi cognitum fuit.

## CAPUT XLIX.

**A**Qvè, pro Tām; Ac  
Atque pro Qvam,  
non sine gratiā & venustate  
usurpabunt elegantia stu-  
diosi.

Particulam *Æqvè* ele-  
ganter usurpabis in formu-  
lis, in quibus Germani has  
voces ponunt, ja so wol / es-  
ben so wol / Sed exemplo id  
tibi perspicuum evadet.

Dein Bruder hat mit deine  
Geschäfte eben so wol / als dir /  
befohlen,

E 4

Hoc

*Hoc ita efferas licebit*: Frater mihi tuus *aeque atque* tibi sua commendavit negocia.

*Ceterum, Ac, Atque* pro *Quam* posita praecipue post has particulas apud bonos reperies authores.

*ÆQUE*. Cic. Qui *aeque atque* ego sunt occupati.

*Idem*. Nihil *aeque* desidero *atque* bonam famam.

*Idem*. Lætatur amicorum lætitiâ *aeque ac* nostrâ, & pariter dolemus angoribus.

*ALIUS, ALITER*. Terent. Aliud mihi respondes *ac* rogo.

Cic. Ne alio mense *ac* fas erat comitia haberentur.

*Salustius*. Ea res longè *aliter ac* ratus erat, evenit.

*CONTRA* *Salustius*. Ubi videt Catilinam *contra ac* ratus erat, contendere.

Cic. Itaque *contra* est *ac* dicitis.

PER-

PERINDE. *Livius.* Perinde atque captâ urbe.

*Salustius.* Perinde omnes res laudantur atq; appetuntur.

PRO EO. *Ulp.* Si quis ex testibus nomen suum non ascripserit, veruntamen significaverit, pro eò est, ac si adhibitus non esset.

*Idem.* Pro eò habendum est, atque si nullo jure factum esset.

*Similiter, Similis, Dissimilis.*

Ut:

1. *Cic.* Neque verò illum *similiter* atque ipse eram, commotum esse vidi.

2. *Cesar.* Hortatur eos, ut simili oratione atq; ipsi fecerunt, suas injurias persequantur.

SECUS. *Cic.* Non *secus*, ac si meus esses frater.

*Idem.* Non dixi *secus*, ac sentiebam.

ES

*Idem.*

*Idem.* Quoniam coepi secus agere atq; initio dixeram.

STATIM. *Ulp.* Judici eorum, statim atq; factus est iudex, omnium rerum officium incumbit.

PAR PARITER. *Cesar.* Pari spacio transmissus, atq; in Galliã est, in Britanniam.

*Livius.* Trucidant foeminas, pariter ac viros.

IDEM. *Livius.* Ipsã re intellecturos, nequaquam idem esse, Syracusas ac Leontinos oppugnare.

JUXTA. *Livius.* Trucidant inermes juxta ac armatos.

*Idem.* Absentium juxta atq; interemptorum bona divisa fuerunt.

### CAPUT L.

Superlativis, Nominibus  
 & Adverbis, Vel, ad-  
 junctã particula, venustate



*tem habet maximam, pro  
qua Etiam usurpare solet  
loquentium vulgus.*

Ut:

1. Carmen illud tuum, *vel* Momō  
iudice, laudem meretur insignem.

2. Hoc, *vel* trimus, infantulus scire  
potuisset.

3. Literæ mihi tuæ gaudio *vel* ma-  
ximo, fuerunt.

4. *Quintilianus*. Potior mihi ratio  
vivendi honestè, quam *vel* optimè di-  
cendi videtur.

5. *Idem*. Hoc transeo, de quo ne-  
minem, qui literas *vel* primis, ut a-  
junt, labris degustaverit, dubitatu-  
rum puto.

6. *Cic.* Turba & barbaries forensis  
dat locum, *vel* viciosissimis oratori-  
bus.

*Idem*. Hoc autem, *vel* uno, præ-  
sta-

stamus *vel maxime* feris quod colloquimur inter nos, & exprimere dicendò sensa possumus.

8. *Virgil.* Carmina, *vel caelo*, possunt deducere lumen.

9. *Ter.* *Vel hic*, Pamphilus quoties jurabat Bacchidi, quàm sanctè vivis, ut facilè, posset credere.

## CAPUT LI.

**Q**uò, pro *Quantò*; Eo & Hoc, pro *Tantò*, elegantissimè utuntur, qui diligenter locuti sunt auctores.

Ut:

1. Quò quisque est indoctior, eò, (*vel hoc*) est impudentior; pro: quantoque quisque est indoctior, tantò est impudentior.

2. Quò te magis amo, hoc plures ad te scribo literas,



3. Cic. Quò minus ergò honoris erat Poetis, eò minora studia fuerunt.

4. Idem. Quò difficilius hoc præclariorius.

5. Quint. Quò quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur. Ut staturâ breves in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur.

6. Idem. Præceptor, quò sæpius monuerit, hoc castigabit rariùs.

CAPUT LII.

**P**ronomen Qui, Quæ, Quod, elegantiam multam ponitur pro Secundum, in formulis, quæ Parenthesis formam quandam habent.

Ut:

1. Nihil addubito quin, quæ es humanitate, hanc meam propensissimam

E 7

mama

mam erga te voluntatem, sis boni consulturus.

*Id est, secundum tuam humanitatem.*

2. Scio te, *quod es dexteritate,* negotia mea curaturum diligentissimè.

3. Paupertatem omnem, *quod tua liberalitas est,* opibus & consiliis adjuvare non cessas.

4. Divitias omnes virtutis comparatione nullas, *quod tua est consuetudo,* esse judicas.

5. Cic. Moriar nî, *quod tua gloria est,* puto te malle à Cæsare consuli, quam inaurari.

6. Idem. Si mihi permisisses, *quod meus amor in te est,* confecissem cum hæredibus.

## CAPUT LIII.

**Q**uò pro Ut aliàs cum  
comparativo, aliàs  
si-

*sine Comparativo, primi in  
dicendo nominis usurpant  
authores.*

Ut:

1. *Cibo & potu parcè utendum  
est, quò sit ingenii acrimonia ma-  
jor.*

2. *Terent. Id amabo adjuta me, quò  
faciliùs id fiat.*

3. *Quint. Pythagoreis certè mos  
fuit, cum evigilassent, animos ad ly-  
ram excitare, quò essent ad agendum  
erectiores.*

4. *Cic. Quò tolerabiliùs feramus  
igniculum desiderii tui crebris nos  
litteris appellato.*

5. *Idem. Omnia faciat, quò propo-  
situm assequatur.*

6. *Idem. Inducebat Carneades,  
non quò probaret, sed ut exponeret  
Stoicis summum bonum esse frui his  
rebus.*

7. 162

7. Terent. Hanc simulant parare,  
quò Chremetem absterreant.

## CAPUT LIV.

**A** Blativus qui pro quo  
aut quomodo, non in-  
usitate ponitur apud melio-  
ris notæ scriptores.

Ut:

1. Qui vales?
2. Qui scis patrem venisse tuum?
3. Cic. Qui potest igitur habitare  
in vitâ beatâ summi mali metus.
4. Qui verò probari potest, ut sibi  
mederi animus non possit, cum ipsi  
medicinam corporis, animus inve-  
nerit.
5. Idem. Qui cum amantissimè vi-  
vebat.
6. Quint. Dubiis probari dubia  
qui possunt?

7. Ter.

7. *Ter.* Insanis, *qui* istuc facere  
Eunuchus potuit?

8. *Idem.* *Qui* ille poterit esse in tu-  
to?

9. *Idem.* *Qui* isthac tibi incidit  
suspicio?

CAPUT LV.

**U**Tpote, *Quippe* & *Ut*  
*particula*, ante *Rela-*  
*tivum* *qui*, *quæ*, *quod*, *col-*  
*locata*, *eruditissimè* pro  
*quia* vel *quoniam*, *usur-*  
*pantur* in *formulis causa-*  
*libus*.

*Ut*:

1. Propediem moliri abitum hinc  
cogar, *utpote*, *qui* non ignorem, me  
hic sine nummis vel unum diem vi-  
vere non posse, *id est*, *quia*, vel *quo-*  
*niam*, non ignoro.

2. Crebras commestationes cane  
pejus & angve odit, *quippe* *qui* vel, *ut*  
*qui*

qui, probè norit, quantum malorum agmen illæ secum trahant.

3. *Quint.* Nec ignoro, quos trans-  
eo nec utiqve damno, ut qui dixe-  
rim, esse in omnibus utilitatis ali-  
quid, pro quia dixi.

4. *Cic.* Lælius quidem frater ejus,  
utpote qui peregrè depugnavit, fami-  
liam ducit.

5. *Col.* Quippe quæ res etiam in de-  
sertis agris citra rustici operam con-  
valescit.

6. *Erasm.* Non est huic habenda  
fides, quippe, qui bis pejeravit, id est,  
quoniam vel quia bis pejeravit.

## CAPUT LVI.

**P**olita & elegans quoq;  
oratio est illa, in qua  
Relativum qui, quæ, quod,  
cum verbo Est, aut aliis in-  
ter-



*ter dum verbis, amissò ante-  
cedente aliquò effertur.*

Ut:

*Cum dicas, Est aliquis, qui te allo-  
qui cupit, &*

*2. Fuerunt aliqui, qui amicitiam  
nostram dissolvere conati sunt. Eru-  
ditiùs id multò eloqui poteris, si ante-  
cedens Aliquis omittas, & Relativum  
Qui cum verbo tantum efferas, hoc  
modo: Est, qui te alloqui cupit: &  
Fuerunt, qui amicitiam nostram dis-  
solvere conati sunt.*

*3. Cicero. Sunt, qui discessum animi  
& corpore putent esse mortem; sunt  
qui nullum censeant fieri discessum;  
sed unà animam & corpus interire.*

*4. Idem. Sunt, qui quod sentiunt,  
etiamsi optimum sit, tamen invidiæ  
metu non audent dicere.*

*5. Idem. Mittunt etiam vulneri-  
bus*

bus confecti ad dominos qui quæ-  
runt, quid velint, si satisfactum iis  
non sit, se velle decumbere.

6. Gellius. Misit, qui amicos roga-  
ret.

7. Tibul. Vidi, ego, qui juvenum  
miseros læsisset amores  
post Veneris vinculis subdere col-  
la senem.

## CAPUT LVII.

**M**ultum Veneris il-  
lud quoque dicendi  
genus orationi con-  
ciliabit, cum duo activa  
verba uni Nominativo per  
Conjunctionem copula-  
ta, sine copulâ efferuntur,  
verbo priori in participi-  
um præteriti temporis mu-  
tato.

Ut:

Ulc:

1. Vicinum tuum heri pecuniâ omni exuisti, & domo ejecisti. *Id hoc modo venustus effers: Vicinum tuum pecuniâ omni exitum domo ejecisti.*

2. *Id.* Epistolam hanc à Zoilorum moribus vindicatam defende, pro vindica & defende.

3. *Virg.* Incute vim ventis, submersas obrue puppes.

4. *Salust.* In his erat Fulvius Senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit.

5. *Idem.* Jugurtha imprimis Adherbalem excruciatum negat.

6. *Val. Max.* Verberibusque affectam necari iussit.

7. *Idem.* Protinusque dentibus abscissam & commanducatam linguam in os ejus irâ patens expuit.

CAPUT LVIII.

**C**ulta admodum & lepida dicendi ratio est,

fi

*si voce Malum pro adverbio interposita indignationis utimur, rem quandam detestandam abominandamque dicturi.*

*Significat autem hec vox hac ratione usurpata idem quod Virgilio Ne-fas; usurpari poterit, ubi Germanicè dicimus: Was den Teuffel/was die Plage.*

Ut:

1. *Quæ, malum, est ista effrenata tua impudentia impurissimè?*

2. *Quid, malum, amici personam contegis inimicitias?*

3. *Terent. Quas, malum, ambages mihi narrare occipis?*

4. *Idem. Quid tuam, malum, id refert?*

5. *Idem. Quid tua, malum, me tandem censes velle assimularier?*

6. *Cic. Quænam, malum, est ista voluntaria servitus?*

7. I-

7. *Idem.* *Quæ, malum, est ista tua audacia atque amentia?*

8. *Idem.* *Quænam, malum, ista est ratio, semper optimis causis veteranorum nomen apponere?*

9. *Livius.* *Quid, malum, est impetrantibus nolle parere.*

CAPUT LV.

**P**articula quid & quod  
ambæ in oratione collo-  
cata sine ullo medio, mirifi-  
cam venustatem pariunt.

Utimur autem bis, di-  
cturi rem ponderis majoris,  
quàm fuit, quæ præcessit.  
Non ineptè opinor, bis uti  
possis, ubi in patrio sermone  
dicimus.

Ja, das noch mehr ist / ut, Ich ha-  
be dir geholffen womit ich konte / mit  
Rath

Macht und That / das noch mehr ist /  
meine eigene Kleider und Geld habe  
ich dir nicht geweigert.

*Hanc locutionem latinis-  
simè per has particulas ef-  
feres. Ut:*

1. Quibuscunqve potui rebus, tibi  
præsto fui, operâ, consilio, *quid?*  
*quòd* ne vestes quidem proprias, &  
pecuniam tibi unquam denegavi.

2. Quem nuper tantis laudibus e-  
vexisti adolescentem, comperi in  
Dialecticis oppidò rudem, *quid?*  
*quòd* ne nomina quidem declinare,  
& verba exactè conjugare novit.

3. Cic. *Quid?* *quòd* sapientissimus  
quisque animò æqvissimo moritur.

4. Idem. *Quid?* *quòd* salus socio-  
rum summum in periculum ac dis-  
crimen vocatur.

5. Idem. *Quid?* *quòd* tecum nun-  
quam essem sine curâ.

6. Idem. *Quid?* *quòd* eòdem tem-  
pore desidero filiam,

CA.

## CAPUT LX.

**F**ormulae, in quibus imperiti has voces: Propter Quem, Quam, Quod, aut Ob quem, ob quam, ob quod, usurpant, ornatiores erunt, si harum vocum locum adverbis Cur, Quare, & Quamobrem utamur.

Ut:

*Illepidus sermo est:*

Quam affers causam, propter quam non interfueris lectioni?

*Elegans est:*

Quam affers causam, quamobrem vel cur, vel quare non interfueris lectioni?

*Item:*

Multa mihi fuerunt obstaculo, propter quae longiores ad te literas dare non potuerim.

**F**

**La**

*Latinius est:*

Multa mihi fuerunt obstaculo,  
*quamobrem* longiores ad te literas  
 dare non potuerim. *Sed exempla ex*  
*unico latinitatis parente Cicerone ad-*  
*ducamus.*

*Quamobrem.*

1. *Cicer.* Multa mihi veniebant in  
 mentem, *quamobrem* unum labo-  
 rem tibi etiam honori putavi.

2. *Idem.* Deinde nihil rationis af-  
 fers, *quamobrem*, si libertas nullô  
 modô adimi possit, civitas possit.

3. *Idem.* Nulla res est, *quamobrem*,  
 istum nolim ex paternis probris ac  
 vitiis emergere.

4. *Idem.* Neque adhuc causam ul-  
 lam excogitare potui, *quamobrem*  
 commiserit.

5. *Idem.* Multa signa dederat,  
*quamobrem*, quibus responsurus non  
 videtur, mentio de lege nulla fiebat.

*Cur.*

1. *Cic.* An vobis esse aliam causam  
 ullam



ullam putatis? *cur* in tantis præmiis eloquentiæ, tantâ voluptate dicendi, tantâ laude, tantâ gratiâ, tanto honore, tam sint pauci, semperqve fuerint, qui in hoc labore versentur.

2. *Idem.* Quòd si tibi nulla causa est, *cur* hunc miserum tantâ calamitate affici velis.

3. *Idem.* Sed erant causæ, *cur* hoc tempore istic esse nollem.

*Quare.*

Satis mihi multa verba fecisse videor, *quare* hoc bellum esset genere ipso necessarium.

CAPUT LXI.

**Q**uoties cum verbo *Cui-*ro Infinitivus alicujus verbi Passivus efferendus est, tum is in participium futuri in *Dus*, eleganter commutatur ab authoribus probatis.

F 2

Uti:

Ut:

1. Librum tuum, cum usus fuero, *referendum tibi curabo*; pro referri tibi curabo.

2. Cic. Funus ei satis amplum *faciendum curavit*.

3. Idem. *Negocium conficiendum cures*.

4. Idem. Hunc Fabricius *reducendum curavit*.

5. Idem. Hunc tu si mihi *restituendum curaris*, non possum dicere, quã mihi gratum futurum sit.

6. Idem. Quos tamen ipsos, si quem cui rectè committam, invenero, *curabo ad te perferendos*.

7. Idem. Eò factum est, ut ad te Lupus sine meis literis rediret, cum tamen *curasset ad me perferendas*.

8. Valerius Max. Mero somnoque  
so-

sepultos plaustris in urbem *devehendos curaverant.*

9. *Idem.* Ut Comperit, unde ad-  
vecti essent, *reportandos inque tem-  
plo Junonis collocandos curavit.*

CAPUT LXII.

**Q** Vis, Quæ, Quid, &  
casus qui inde na-  
scuntur, non sine splendore  
phrasis, cum verbo Nescio  
collocantur.

Ut:

1. Has literas, *nescio quas*, hoc tem-  
pore boni consulas, rogo.

2. Vidi ante ædes tuas adolescen-  
tem, *nescio quem*, qui te alloqui cupie-  
bat.

3. Amare te virginem, *nescio quam*

F 3

in

in viciniâ à probatæ fidei accepi hominibus.

4. Lectis literis tuis pater, *nescio quid* sibi non probari in iis dicebat.

5. Ovid. Spem mihi, *nescio quam*, vultu promittis amico.

6. Ter. Ex alio viro, *nescio quo*, puerum natum.

7. Idem. Homo se fatetur vî in via virginem, *nescio quam*, compressisse.

8. Cic. Quæ magno animo & claro, fortiter excellenterq; gesta sunt, *nescio quô modo*; quasi pleno ore laudamus?

9. Idem. Serpit, *nescio quo modo*, per omnem vitam amicitia.

10. Idem. Plus, *nescio quo pacto* videtur habere gravitatis.

11. Idem. Qualem fuisse Athenis Timonem *nescio quem*, accepimus.

12. Terent. *Nescio quod*, magnum malum me celas.

CA.

## CAPUT LXIII.

**A**Urea quoque dicendi  
elegantia illa mihi es-  
se videtur, cum verbum  
idem, quod in præcedenti  
clausulâ ponebatur, per  
conjunctionē Autem, vel  
porrò, reperimus.

Ut:

1. Te etiam atque etiam, rogo, ut  
quàm primum si unquam poteris, ad  
me venias, ~~poteris autem facillimè~~, si  
Hieronymum fidelissimum fratrem  
meum, tuique amantissimum itin-  
ris comitem tibi adjuveris.

2. Bonâ adolentes indole præ-  
diti, operam quam possunt maxi-  
mam adhibeant, ut à primis statim  
annis optima quæque discant, ac  
strenuè proficiant, ~~proficient autem~~,  
si discendi cupidi fuerint.

F 4

3. Cic.

3. *Cicero.* Quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues his temporis quantum *poteris*, *poteris autem* quantum voles.

4. *Camerarius.* Nam si quid ego *possum* judicare, *possum autem* aliquid quantum, ut par est, in his studiis ab ineunte ætate versatus hæc profecto editio Fabriciana & aliis omnibus præstat, & singularem laudem atque prædicationem meretur.

5. *Erasm.* Cui quidem non minus faveo, quam *diligo*. Porro tum *diligo* effusissimè, tum faveo impensissimè.

#### CAPUT LXIV.

**O** *Rationes, in quibus semidoctum vulgus dicit, Non est opus, Oportet, Non*

Non oportet, *vel* Quid est  
opus? hoc Tulliano flosculo  
venustiores efficies, videli-  
cet iis: non est quod; nihil  
est quod, & quid est quod?  
usus fueris.

Ut:

*Vulgaris sermo est:*

Non est opus, ut mihi prolixè agas  
gratias.

*Latinior est:*

Nihil est, quod mihi prolixè agas  
gratias.

*Vel:*

Nihil est, quod mihi agas gratias.

*Idem:*

Quid opus est, ut ob rem tam levè,  
tantam excites Tragediam?

F 5

Ele

*Elegantior erit.*

*Quid est, quod ob rem tam levem, tantam excites Tragoediam?*

*Sic dicimus: Nihil est, quod vereare, te ob id nodum hominum incurere, pro, non opus est, ut verearis.*

*Non est, quod ex labore uno geminum tibi efficias, id est, non oportet, vel non est opus ut efficias.*

## Ciceronis Exempla hæc sunt:

1. *Cic. De familiâ liberatâ, nihil est, quod te moveat.*
2. *Idem. Epistolæ copiosæ & suaviter scriptæ, nihil est, quod multa respondeam.*
3. *Idem. Quare nihil est, quod ex tanto comitatu virorum amplissimorum me unum extrahat.*
4. *Idem. De Britannicis rebus cognovi ex suis literis, nihil esse, nec quod*



quòd metuamus, nec quòd gaudeamus.

5. *Idem.* Nihil est, quòd me invites.

6. *Idem.* Nihil est quòd vereare, ego enim ne pilo quidem minus te amo.

7. *Idem.* De Apulejo, quid est quòd labores.

8. *Idem.* Nihil est scilicet, quòd de Cotta cogitemus.

9. *Idem.* Dignitatem quidem illam consularem fortis & constantis nihil est quòd cogitemus.

10. *Idem.* Excruciat me valetudo Tullæ nostræ, de qua nihil est, quòd ad te plura scribam.

11. *Idem.* De eruditione ejus, quòd labores, nihil est.

12. *Terent.* Nihil est, quòd dicas mihi, quærebam alium.

13. *Idem.* Nam nihil est illic quòd moremur diutiùs.

14. *Virg.* Si vitulam spectes, nihil est, quòd pocula laudes.

15. *Idem.* Nihil est quòd dicta retractent?

*Ignat.*

*Ignavi Æneida.*

*Horatius. Non est quod multa lo-  
quamur.*

CAPUT LXV.

**L**epidus quoque dicendi  
modus est, quò erudi-  
tiores utuntur, dicentes  
Tamdiu, Donec, Tantis-  
per dum, vel Dum, solam  
particulam ponentes, quâ  
frequenter utitur Cicero,  
flos & decus eloquentiæ La-  
tina.

Ut:

*Tam diu domi maneas, donec ego  
te in literarum ludum iturus conve-  
niam. Elegantius id hoc efferes modo:*

1. *Tantisper domi maneas, dum  
ego*

ego indutum literarium iturus allo-  
quar.

2. *Tantisper* in Grammatices stu-  
dio perseverabis, *dum* in archite-  
ctum sermonis atq; adeò absolutum  
artificem evaseris.

3. *Tantisper* ipse discas, *dum* docere  
alios possis.

4. *Ter.* Ego te mecum dici *tanti-  
sper* volo, *dum*, quod te dignum est,  
facis.

5. *Cic.* Tibi censeo latendum *tanti-  
sper* ibidem, *dum* effervescat hæc  
gratulatio, & simul *dum* audiam,  
quemadmodum negocium confe-  
ctum sit.

6. *Idem.* Sed ad properationem  
meam interesse, non te expectare,  
*dum* ad locum venias.

7. *Idem.* Scribis in Italiã te mora-  
turum, *dum* tibi literæ meæ veniant,  
si per hostem licet.

8. *Idem.* De sororis autem tuæ filiis  
non expectavi, Brute, *dum* scriberes.

9. *Idem.* Non expectavi, dum mihi à te literæ redderentur.

10. *Idem.* Expecta amabo me, dum Atticum conveniam.

11. *Idem.* Quid expectem, dum de te quinque & septuaginta tabellæ diripiantur.

12. *Idem.* An ergò expectas, dum ab inferis ille Malleolus exurgat?

13. *Idem.* Nolite expectare, dum omnes obeam oratione meâ civitates.

14. *Idem.* Num expectas dum te stimulis fodiam?

15. *Idem.* Ut ibi esset tantisper, dum culeus, in quem coniectus in profluentem veheretur, compararetur.

16. *Livius* Expectate, dum Consul aut Dictator fiat.

17. *Idem.* Nec expectent, dum à Româ legati veniant.

18. *Idem.* Moratus, dum milites ad prædam discurrerent.

19.

19. *Idem.* Moratus, *dum* Imperatores consuleret.

20. *Idem.* Expectantes, *dum* ab hostibus clamor inciperet.

21. *Idem.* Paucos morati dies, *dum* focii venirent.

22. *Idem.* Nolite expectare, *dum* fugiant.

23. *Idem.* Paucos moratus dies, *dum* se copiæ adsequerentur.

24. *Idem.* Expectate, *dum* vobis obviæ veniant.

25. *Virg.* Tytire, *dum* redeo, brevis est via, pasce capellas.

CAPUT LXVI.

**C**onjunctio Et geminata pulcherrimum habet usum; sed in rebus diversis geminatio erit venustior.

Ut:

Ut:

*Cum dicis: Diligentia honores gignit & continet; Hic ornatè multum conjunctionem & verbo quoque seu nomini prioris clausule preponas, hoc modo:*

1. Diligentia honores & gignit & continet.
2. Te & appellant homines sapientem, & existimant.
3. Te & malum esse dicunt, & sentiunt.
4. Te & probum putant, & loquuntur.
5. Isti & habentur mali, & appellantur.
6. Studio literæ & parantur & conservantur.
7. Fili, & morem geres & tuæ salutis consules, si te studiosum præstiteris.

GA-

## CAPUT LXVII.

**C**Uram & diligentia in  
contextu orationis re-  
quirunt particulae quod &  
ut; sunt enim cum principa-  
les copula, tum vero sepi-  
sime recurrunt.

Facilis autem hic lapsus  
est pueris Quod pro Ut, seu  
Ut pro Quod, usurpanti-  
bus. Id quod eò illis usu ve-  
nire crediderim; quod u-  
tramque particulam, per  
Teutonicam voculam daß  
exponere solemus. Sit igitur  
hæc regula:

I. Quoties Ut finalem  
causam, hoc est, rem cuius  
gra-

*gratiã aliqua sit, significat,  
conjunctivum adsciscit.*

Ut:

1. *Terent.* Ubi inveniã Pamphili-  
lum, *ut* metum ei, in quo est, *adimã.*

2. *Cic.* In eo maxima est, *ut* simus ii,  
qui haberi velimus.

*II. Ut post verba juben-  
di, imperandi, timendi, pe-  
tendi, adimendi & delibe-  
randi, conjunctivum ad-  
sciscit.*

Ut:

1. *Timeo, ut ferre possis.*

2. *Consul petit, vel jubet, vel im-  
perat, vel consulit, vel svadet, ut ne-  
gocium nullã interpositã morã, con-  
ficias.*

*III. Post particulas Tan-  
tus, Talis, Tam, Adeo, Tot,  
Ita;*



*Ita; Ut, non Quod, ponendum est.*

Ut:

1. *Talis, vel tantus, est nebulo, vicinus tuus, ut verbis describi satis nequeat.*

2. *Tam impudens est, ut vel falsissima quæque pro testimonio dicere non erubescat. Quamobrem sic plerisque est odiosus, ut ad mentionem ejus despuant.*

3. *Præterea ita vixit hætenus, ut ne teruntium quidem reliquum habeat.*

*In id genus locutionum si Quod posueris, in solæcismi fœditatem incidet, quod diligenter pueris observandum censeo.*

Quòd.

*Hæc particula eventum rei monstrat, & Indicativo*

*mo-*

*mod*, quoties presentem actionem significat, communissime adhaeret; Coniunctivo autem, quoties praeteritum negotium significat.

1. Ideò nulli places, quòd tibi nimium places.

2. Ob id te saepius reprehendo, quòd impensius diligo.

3. Quòd benè vales, gaudeo.

4. Sic. Benè facis, quòd me adiuvas.

5. Idem. Illud extremum est, quòd rectè vivendi ratio meliores efficit.

Hac de presenti negotio dicuntur, ideoq; per indicativum efferuntur; sequentia verò per praeteritum, Et ob id per coniunctivum rectè efferes.

Ut:

Ut:

1. *Quòd redieris incolumis, gaudeo.*
2. *Quòd res tibi ex animi sententiâ evenerit, lætor.*
3. *Quòd convaluerit pater, summo perè gaudeo.*
4. *Cic. Gratissimum mihi est, quòd quiveris.*

F I N I S.



✠✠✠✠✠✠✠✠



L I P S I Æ,  
Prostat apud Samuelem  
Scheibium.



*Literis Lanckisianis*  
*imprimebat*  
CHRISTOPH. CELLARIUS,  
Anno M. DC. LIV.



m




S,


καὶ κεραμεὺς κτεάνων καὶ  
εἰς καὶ ἕλκων ἕλκων  
figulῶ figulῶ μωδῶς et archit  
et architecto. Hebr.


Facultas est habitus versans circa  
utrumque oppositorum. Cabarella  
senq[ue] eis in a[li]o loco in utrumque partem po-  
test disputari. Arist. (Semonem.)  
Ms. Bruno publicitus laudavit Witteberga


~~causa et antecedens~~  
causa et antecedens differunt ut latius  
efficitur et consequens  
et angustius. omnis causa potest et antee-  
dens et omnis effectus consequens sed  
vice versa.

















































Quoniam Philosophia in se genere  
dicendi veris et bonis.  
Historica e me



oe

Cl 3567.8

ULB Halle

3


006 234 402





VD 77

MC







ELEGANTIARUM  
**LATINI**  
 SERMONIS  
 PRÆCEPTIO-  
 NES ALIQVOT,

*In gratiam*  
**Studiosæ Juventutis**  
*collectæ,*  
*Cùm Ciceronianis, tum a-*  
*liorum bonorum Authorum*  
*exemplis illustratæ,*  
*Omnibus incorrupta propriis sumq;*  
*Latinitatis cupidis utiles & summe*  
*necessaria, libris Joh: Ge.*  
 AUCTORE *orgij* *Simonis*  
**M. Georgio Vogelmanno,**  
 Legisse iuverit.

*Cum gratia & Privilegio Elect. Sax.*  
 LIPSIÆ,  
 Apud SAMUBLEM SCHEIBIUM,  
 Anno M. DC. LIV.